NAZIONALE
12
15 F
11

12
17
d
10

Digitized by Google

XXIX. 2. 9

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

K. VI. 8.

Digitized by Google

FRANCISCI

# CITESII,

## REGIS

### ET EMINENTISSIMI


CARDINALIS DVCIS

## DE RICHELIEV

MEDICI,

Atque Facultatis Pictauienſis Decani.

# OPVSCVLA MEDICA.




PARISIIS,

Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Typographum, Regium, viâ Iacobæâ, ſub Ciconijs.

M. DC. XXXIX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

EMINENTISSIMO
DOMINO MEO
# CARDINALI
DVCI
# DE RICHELIEV.

*EMINENTISSIME DOMINE,*

*Numquam ſatis mirari poſſum humanitatem illam animi magnitudini*



Digitized by Google

*coniunctam qua V. EMINENTIA pari ſtudio pauperum & ægrotantium curam ſuſcipit, atque Regnorum & Principatuum. Medicos adeſſe iubet, qui morbis profligandis apta præſcribant: Chirurgos & Pharmacopœos, qui manum & medicamenta admoueant: Patres* πτωχοτρόφους *qui victum miniſtrent, & quæſtores qui ſumptibus neceſſarijs operam dent. Atque hæc tum in caſtris tum extra caſtra. Sed amplius & diutius permanſura extruit E. V. Noſocomia conuenienti ad id opus ſupellectile inſtructa, cum frequentiſſima Confeſſorum, Medicorum & cæterorum ſalutis humanæ curatorum familia. Quo in negotio bono-*

Digitized by Google

*rem occupat cœleſtibus proximum, cùm ad eos nulla re propiùs homines accedant, quàm ſalutem ægris dando. Propterea cum ſucciſiuis horis E. V. muneris mei nuper rationem redderem, & ex ægrotantibus, quos perambulabam, plærique morbis acutis conflictarentur, quibus ſola ferè venæ ſectione, tandiu repetita quamdiu vis morbi ſuaderet & vires ferrent, opem allaturum me ſponderem: poſt multa de phlebotomiæ & epaphæreſeos neceſſitate in morbis acutis in medium prolata, illa mihi quæ ea de re viderentur in vſum & commodum publicum ſcribere, & ſcripta typis mandare iuſſit, vt hinc diſcant hæmophoui ſanguinis miſſionem tem-*

*pore & loco non auerſari : Et ſi fortè medicus aliquis ex Eraſiſtrati hæmophouorum principis ſecta non omnino pertinax rationibus noſtris aurem commodare non recuſet , eaſdem eſſe agnoſcat quas habent Hippocrates & Galen. cum Lutetiana ſchola qua in acutorum morborum curatione nulla in tota Europa peritior & felicior eſt. Parere mandatis V. E. & ſic publicæ ſaluti conſulere vt æquum ſic glorioſum duxi , & auguſtum veſtrum nomen , fauſtum omen præferens , huic opellæ inſcripſi , quò apud omnes conſtet E. V. nihil antiquius habere quàm vt omnibus proſit & Rempubl. ſartam tectamque conſeruet. Et quia non minus arte quàm*

*marte hoc opus perficitur, ego inter artifices medicos alicuius nominis, quia veſtra autoritas eſt mihi inſtar alicuius numinis, libellum hunc tanquam certiſſimum obſequij mei pignus adfero & offero, & quæ ante triginta ſex annos ſcripſi de abſtinentia puellæ Confluentanæ apud Lemouices, quæ ante viginti duos annos de Colico dolore bilioſo apud Pictones Endemio, quæque de Epidemico morbo apud Pariſienſes ante ſexdecim annos graſſante vernacula lingua publici iuris feci etiam addo, atque ſub veſtris auſpicijs in lucem reuoco, vt ſint meæ erga beneficentiſſimum Dominum meum obſeruantiæ monumenta, quibus quandiu vi-*

*xèro gloriari mihi liceat honorificentiſſimo nomine à triginta annis quæſito Medici*

*V. EMINENTIÆ,*

Fidiſſimi & ſerui obſequentiſſimi

FR. CITESII.

Digitized by Google

# INDEX
# OPVSCVLORVM
## MEDICORVM
## FRANCISCI CITESII.

DE Tempeſtiuo Phlebotomiæ ac purgationis vſu, Diſſertatio aduerſus hæmophobus. pag. 1
Abſtinens Conſolentanea cui obiter annexa eſt pro Iouberto Apologia. pag. 53
Abſtinentia puellæ Coſolentaneæ ab Iſr. Harueſi confutatione vendicata. Cui præmiſſa eſt eiuſdem puellæ ΑΝΑΒΙΩΣΙΣ. pag. 109
De Nouo & Populari apud Pictones dolore colico bilioſo Diatriba. pag. 165
*Aduis ſur la nature de la Peſte & ſur les moyens de s'en preſeruer & guerir.* pag. 235

ẽ

## *Summa Priuilegij Christianiſſimi Regis.*

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis authoritate cautum eſt, ne quis in regno ſuo, alijſve locis ditioni ſuæ ſubiectis intra proximos annos ſeptem à die Impreſſionis primæ inchoandos excudat, vendat, excudendum vendendumque quouis modo ac ratione curet librum, qui inſcribitur *Franciſci Citeſij Medici Regij & Eminentiſſimi Cardinalis Ducis de Richelieu ordinarij, atque facultatis medicæ Pictauienſis Decani Opuſcula* præter Sebaſtianum Cramoiſy Bibliopolam Iuratum Typographum Regium, & Ciuem Pariſienſem aut illos quibus conceſſerit ſub pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis Datum Pariſijs 17. Martij 1639.

*De mandato Regis*

CEBRET.

Digitized by Google

# AD ROMANOS
## MEDICOS αἱμοφόβοῦς PARODIA.

SIccine Romanis inſedit mentibus error
Et vanus ſine lege timor? quis crederet? armis
Deuicto leges quondam quæ præbuit orbi
Roma potens, audax animis, interrita fuſo
Sanguine, & occiſo toties generoſior hoſte;
Quis credat mutaſſe vices, mentiſque vigorem
Depoſuiſſe ſinu? venâ exhorreſcit apertâ,
Fuſóque attonito palleſcit ſanguine vultu.
Illi moris erat deſerto cum ordine miles
Captarétque fugam, viſóque tremiſceret hoſte;
Vitibus, & cæſis fugientes plectere venis.
Nunc furit effrænis toto ſi corpore languor,
Vel febris comitata ſiti depaſcitur artus,
Exurit tacitas peſtis ſi cæca medullas,
Igne nocens tabóque rubrum infectura cruorem;
Non audet ſectâ vitæ ſuccurrere venâ.
Quis furor eſt optare mori? quid fata ſubire
Certæ malle necis, quàm cauſſam exſcindere morbi?
Scilicet exoſa eſt, quam repperit incola Nili,
Sectio venarum: qui, dum ſub corpore ſanguis
Luxuriat, turgétque ſuis ruber humor in alueis;

Roma regina & domina orbis. Frontin. de aquæduct.

QuãdoRomani ciuitates capiunt, non homines modo occidunt ſed etiam canes diſſecant. Polyb. lib. 10.

De vitibus Iuuenal. Saty. 8. verſ. 147. & Tacit. 1 annal.

De venæ ſect. Gellius lib. 10. cap. 8. Muret. variar. lib. 13. cap. 20.

De hippopotamo Plin. lib. 8. c. 26.



Digitized by Google

Auxilium rigidâ quærens in arundine, pungit
Molle latus, ferróque velut pertundit acuto.
Quâ data porta fluit largo ſic flumine ſanguis
Purpureoque ſolum pingit floreſque rubore,
Donec onus fugiſſe ſuum, penituſque leuatam
Sentiat, atque probet facili ſe bellua motu.
Tum volutata luto vulnus lòricat apertum
Obturátque latus ſuppreſſo ſanguine læſum.
Scilicet hoc animos perturbat, Roma, Tuorum
Inuentum, tædetque ſequi veſtigia monſtri?
Parce metu temerare animum, nam fabula Græcos
Hæc manet, & falsâ te ludit imagine veri.
Naturâ monſtrante viam Medicina cruorem
Fundere ſuſcepit venaſque recludere ferro.
Quippe vbi venarum tubulis cumulatior humor
Rumpere contendit turgentes ſanguinis alueos
Seu premat obſidione vias, ſeu pondere inerti
Ignauum membris motum ſenſumque miniſtret.
Purpureus tum ſponte liquor, velut aggere rupto
Vnda, fluit, laxiſque ruit torrentis habenis
Inſtar aquæ, ſummo ſeſe quæ vertice montis
Præcipitat, ſecumque rapit ſyluaſque domoſque
Non ſecus exundat ſummâ de nare cruoris
Riuus atri corpus conſolaturus onuſtum.
Quin venis, ſedi quæ profiguntur, apertis
Viſcera multiplici morborum peſte leuantur.
Nonne etiam multo quoties tumet vda cruore
Vena vteri roſeo curſum repetente Diana,
Imbre madet, fluuiumque vomit reſerata rubentem?
Hoc natura mouet, mouet hoc edocta loquentis

Hippocr. Medicum μιμητὴν αἷμα καὶ ὑπηρέτην τῆς φύσεως æmulũ naturæ & adminiſtrum eſſe vult. Gal. com. 2. in lib. 1. epid. pag. 45.

Plethoræ ſigna ex Gal. 2. de ſan. tuenda c. 7.

Sãguis ſpõte fluẽs eius officij Medicum admonet Gal. ad aph. 32. lib. 5.

Talis fluxus cauſum ſoluit. ex Hip. lib. 4. de vict inacut. p. 10.

Vide aph. 25. lib 4. 11. & 21. lib 6.

Talis excretio οὐ μόνον κένωσις, ἀλλὰ καὶ κάθαρσις ex Gal. com. 5. ad lib. 3. epid. p. 73.

*Voce Dei medicæque parens & gloria gentis*
*Inuentrix velut ergo fuit tàm nobilis artis,*
*Sic quoque prima fuit vacuandi ſanguinis auctor.*
*Naturam Medicique manus methoduſque ſecuta*
*Temperet vndantem venis vt ſanguinis æſtum*
*Caſtigetque cauis incendia mota caminis,*
*Sanguineam minuit facto de vulnere maſſam.*
*Quippe vbi concluſus ſtricto ſub carcere torpet*
*Nec liber vacuâ ſpatiatur ſanguis in aula*
*Hinc ſubitæ veniunt mortes, febreſque malignæ,*
*Hinc ſtupor, hinc vertigo mali grauioris origo,*
*Sanguinei vomitus, vaſorum ruptio, mentis*
*Intercepta quies, crebra intermiſsio pulſus*
*Ingruit, & ruptâ iugulans apoplexia vena.*
*Vt concluſa cadis feruent cùm muſta, furentem*
*Concipiunt bullis intro ſpumantibus ignem;*
*Fit via vi, fractiſque volant caua dolia coſtis,*
*Ni prius educto pateant ſpiracula vino.*
*Sic niſi tundatur furioſo vena cruori*
*Vi ſibi ſternit iter ſpumanti percitus œſtro,*
*Et quâ ſorte poteſt partem delatus in omnem*
*Inſilit, atque pedes infirma in viſcera figit.*
*Cernere ſæpe licet toto cum corpore ſanguis*
*Putret, & aſſumpti ſpeciem noxamque veneni*
*Induit, impatienſque loci cupiduſque furoris*
*Naribus, ore, oculis, gingiuarumque cauernis*
*Auribus, aluo, vtero, mictu exundare cruorem.*
*Non ſecus ac rapida Ligeris cum lubricus vnda*
*Auctior effuſis niuibus munimine rupto*
*Exſuperans ripas nuper ſata perdidit omnia.*

Multitudo ſanguinis præcipua morborum cauſa Gal. cap. 1. lib. de phlebot aduerſ. Eraſiſt. vide lib. de plenitud.

Vbi feruet ſanguis detrahend.

Gal de cur. rat. per phleb. cap. 12. plenitudo ad vires fluxionem ad Imbecilliores particulas immittit Gal. com. 2. ad lib. 2 Hipp. de nat. hū. part. 1. & lib. de venę. ſect. cap. 8.

Gal. 6. de loc. affect. cap. 5 lib. 5. cap. 7. & lib. 3 cap. 7.

Horū omniū exēpla ex Schenckij obſeruationib. med.

Inundatio Ligeris mēſe decemb. an. 1628.

*Quis putet à putri fomenta benigna cruore*

Sanguinem prauum nõ trahunt venæ Gal cõ. 4. in lib 6. epid. p. 25.

*Poſſe peti? quænam ſolatia partibus inde?*
*Quis vigor, & robur? quæ dulcia commoda vitæ?*
*Menſtruus à longo ſtagnat qui tempore ſanguis*
*Cunctaturque vtero motu ſpoliatus & aura,*

Putreſiunt calida & humida niſi diſſlētur ac refrigerentur. Gal. 1. de feb. c. 3.

*Si cadit in ſegetes, vrit ſata, Syrius agros*
*Vt coquit, & radijs torret flammantibus herbas.*
*Floribus ornamenta rapit, viniſque ſaporem,*
*Perſtringitque aciem ferri, ſpeculiſque nitorem*

Imitatũ ex Plin lib. 7. c. 15. & lib. 28. cap 7.

*Eximit, & furias catulis guſtantibus addit.*
*Nonne eadem ſperanda lues, metuendaque peſtis*

Morbi à putri ſanguine vide Gal. paſſim

*Dum furit in venis & toto corpore putret?*
*Quis neſcit furias, quis non deliria nouit,*
*Quis lepras, vel quis cancros non vidit edaces?*

Naſcuntur in ſanguine ipſo hominis animalia exeſura corpus Plin. lib. 26. c. 13.

*Cætera quid recolo, peſtes, turbaſque ferarum*
*Virus atrox, morſuſue truces, & dira venena?*
*Hi ſunt corrupto nati de ſanguine fœtus;*
*Quem repetita nequit ſemper purgare catharſis;*

Sanguinis miſſio excellentior eſt catharſi Gal. de curandi rat. per phleb. cap. 12. & com. 2. de vict. in acut. p. 12.

*Sectio ſola poteſt melius, citiuſque furentem*
*Putrentemque ſitu longo componere ſuccum.*
*Hanc manus Artificis recta ratione, modoque*
*Temperat, & morbis ægri pro viribus aptat.*
*Ergo age depulsáque animo formidine (Roma)*
*In validis aude morbis vacuare cruorem.*
*Vanos pone metus, melioremque indue mentem;*
*Auxilium amplexare potens, cœleſte, benignum,*
*Quo panacea datur ſedando nulla dolori*
*Aptior, aut potior tutandæ mumia vitæ.*
*Si te nulla mouent veterum monumenta Medentum*
*Pagina facundi moueat te docta Citeſi.*

Digitized by Google

# DE TEMPESTIVO PHLEBOTOMIÆ AC PVRGATIONIS VSV DISSERTATIO

ADVERSVS HÆMOPHOβουS.

Digitized by Google

Digitized by Google

# DE TEMPESTIVO PHLEBOTOMIÆ AC PVRGATIONIS VSV, DISSERTATIO

aduerſus hæmophoβους.

HVMANÆ vitæ curriculum mille tum externæ tum internæ cauſæ præcidere conſueuerunt per morbos quos pariunt omnis generis, præſertim per febres, quarum ardore natiuus calor verſus in igneum quotidie de ſuffocatione aut extinctione periclitatur. Sed quia caloris illius fons & officina eſt cor, in eo etiam tanquam in proprio domicilio poſitas eſſe febres neceſſe eſt, & ab ijs cordis ſubſtantiam triplicem, ſpirituoſam, humoralem, & ſolidam calore alieno & præter naturam accendi. Vnde exurgunt tres illæ febrium

τὸ θερμὸν ἔμφυτον φίλον καὶ κεῖνον. Aph 22. l. 5. τὸ θερμὸν πολέμιον καὶ κτεῖνον.

ſpecies, ephemera, putrida & hectica, quæ propter ſubiecti & cauſarum varietatem, aliæ plus, aliæ minus damni adferunt, minus in quibus accenſi ſunt tantùm ſpiritus, vt in ephemera, niſi ſit peſtilens; plus in quibus ſunt incenſi humores, vt in putrida: maximè in quibus partes ſolidæ interno ſed lento incendio conflagrant, vt in hectica. Præſentius periculum eſt à putridis, quas inter, acutæ omnium ſunt pernicioſiſſimæ, quoniam eas putredo ingens, aut phlegmone aliqua ſæpè Syſtrophica parit. Hinc fit vt celeriùs ſua percurrant tempora, & intra paucos dies exitium minentur. Fit enim maior iactura humidi primigenij ſeptem diebus à febre acuta, inquit doctiſſ. Lud. Duretus, quàm à calore inſito ſeptuaginta annis. Et ſeptem diebus moritur adoleſcens tabifica vi febris conſumptus, qui duce natiuo calore ſeptuagenarius erat futurus. Hanc ergo calamitatem vt ab humano genere tanquam infeſtiſſimam feram auerteret ars medica, plurima & præſtantiſſima remedia excogitauit, quibus ægrotantes, vt Hippocrat. ait, à maximis malis, morbis, laboribus, doloribus, & morte vindicarentur: ſed duo imprimis, Phlebotomiam & Purgationem, in quibus vſurpandis ἐνδείξει opus eſt & perſpicaci ingenio, vt medicus tanquam alter

In Coa. prog. p. 217.

Lib. de flatibus. Οἱ νοσέοντες ἀπαλλάσσονται τῶν μεγίστων κακῶν διὰ τὴν τέχνην νούσων, πόνων, λύπης, θανάτου.

nauclerus omnibus periculis occurrat. Vt nauclerus cum nauis periclitatur de naufragio, ſic medicus cum æger de vita periclitatur peritiæ ſuæ illuſtriora argumenta depromit. Periclitatur autem æger quia humorum ſarcina grauatur; periclitatur nauis quia onerum mole premitur. Conſilium capit nauclerus de exoneranda naui, cados vini & zythi, frumentum, lanas & quaſcumque alias merces in mare præcipitat. Medicus pariter de ſubleuando ægro ſollicitus, ſanguinem & cæteros humores olim corpori alendo idoneos nunc à natura alienos & maximo oneri, imo ingenti damno futuros vacuare contendit. Quin etiam cibos alendis ſanis & corpori firmando alioqui neceſſarios, nunc ægrotanti graues & noxios ſubtrahit. ὑποστέλλεσθαι χρὴ, ait Hipp. Sed eò differunt medicus & nauclerus, quod hic ſine delectu obuia quæque manibus & vncis è naui eripit, medicus prudentior eos tantùm humores qui in vitio ſunt, & quantitatē vel qualitate lædunt aut manu chirurgi per phlebotomiam è vaſis detrahit, aut vncis pharmacopæi per catharſin è corporibus educit. Sic vtroque humorum vitio plethora & cacochymia corpus exonerat magni vtriuſque præſidij beneficio, ſanguinis miſſionis & purgationis, in quibus præſcribendis

Aph. 61. l. 7. & Aph. 11. l. 1.

phyſicum medicum, non agyrtam aut circulatorem ſe præſtare oportet, ſed ægri habitum, vires, ætatem, conſuetudinem, morbi genus intenta mentis acie contemplari, τούτων γὰρ οὐδεὶς ἄσταθμός ἐστιν, inquit Hipp. At fit interdum vt qui etiam ſe optimos medicos profitentur, fallant, & ſua ſpe excidant, aut fallantur ipſi prius. Nec enim crediderim vllos vnquam medicos ſcientes feſelliſſe, cum eorum errata grauiſſima, & viro bono, qualem medicum eſſe decet, nunquam ferenda infamia ſequatur. Falluntur autem ex artis theorematis neglectis aut ſaltem non adhibitis neceſſarijs dioriſmis. Sunt qui non Hippoc. aut Galenum artis proceres conſulunt, ſed ex commentarijs aut certis compendiolis ſapiunt, quibus freti ad vſum medicum temerè accedunt, & pharmacopolarum abacos confuſis & tenebricoſis remediorum formulis onerant, oſtentationis potiùs quàm publicæ ſalutis ſtudioſi. Sic incauti fallunt & crudeliter ſæuiunt in humanum genus, præſertim circa temerariam & intempeſtiuam maiorum remediorum quibus morbis mederi ſolemus, purgationis, inquam & phlebotomiæ vſurpationem. Sed iſtius imprimis generoſi remedij ſupinam omiſſionem, aut ab ea pertinacem auerſionem, quæ neſcio quo fato, non tantùm

περὶ ἀγμῶν.

ignari & meticuloſi vulgi animos præſtrinxit, ſed etiam virorum alioqui fortiſſimorum mentes faſcinauit, adeò vt affirmare auſim, in Europæ maxima parte centena hominum millia ſingulis annis iugulari, modò ex inſtituta intempeſtiua purgatione in morborum acutorum non modò principijs, ſed etiam in incremento & ſtatu, modò ex neglecta, aut denegata vbi opus eſt phlebotomia, vt ſcitè dixerit Galenus, falſas 8 [illegible] opiniones animas hominum præoccupantes, non ſolùm ſurdos ſed etiam cæcos facere, ita vt videre nequeant quæ alijs conſpicuè apparent. Hippocrates, quem fallere nec falli potuiſſe Macrobius ait, nunquam purgantia medicamenta in morbis acutis, niſi expectata humorum concoctione propinat, ſi orgaſmum excipias, qui rariſſimus eſt, nec phlebotomiam prætermittit, quam purgationi ſemper præponit. Qui aliter ſe gerunt omnia ſuſque deque habent & clauſis oculis cum morbis pugnant. At De vict. acut. longè melius ille apud Hippoc. medicus quem præ cæteris ideo commendat quòd in morborum acutorum, quorum vehementia maxima pars hominum quotidie periclitatur, curatione ita ſe ſagacem & ſedulum præſtet, vt recta medendi methodo cæteros antecellat. Recta autem methodus eſt, vt in omnibus febribus acu-

tis non tantùm ijs quæ internas phlegmonas comitantur, ſed etiam ijs quas humorum putredo concepta in maioribus vaſis accendit, prima ſtatim inuaſionis die venæ ſectio inſtituatur, ſæpius etiam repetenda, pro vt febris magnitudo & ſymptomatum vehementia ſuadet: vt leuata ſanguine miſſo natura, non tantùm primis diebus, ſed ſexto, ſeptimo & ſequentibus, atque exonerata ea veluti ſarcina qua premebatur faciliùs quod ſupereſt euincat. Sic plethora minuitur, incendium extinguitur, humor accenſus contemperatur, & pepaſmum minori negotio conſequitur: quo adepto, purgationi tum locus eſſe poteſt; quod nonniſi inclinante morbo, aut ſaltem remittente contingere ſolet: aliàs periculoſæ plenum eſt opus aleæ.

11. Meth.

## Capvt II.

### *In quo quantum ſit periculum in morbo acuto intempeſtiuè vti purgante medicamento docetur.*

4. Acut. Hippocratem legimus in exhibendo cathartico tam fuiſſe religioſum, vt in acutis morbis curandis nunquam niſi ſumma neceſſitate coactus ad id acceſſerit, ſed ſolis clyſ-

Digitized by Google

mis contentus ad phlebotomiam protinus confugerit, vt graſſanti incendio ſtatim occurreret, & phlegmones alicuius generationem in parte principe prohiberet. At cum purgantis medicamenti neceſſitas incidit, quod fit cum aut turget humor, morbo ſtatim ineunte; aut eo inualeſcente, cum aliqua coctionis argumenta eluceſcũt, id non niſi poſt ſanguinis detractionem porrigendum ſtatuit. Δέεται δ' ἀσφαλείης καὶ μετειότητος μετὰ φλεβοτομίην φαρμακεῖν. Et hoc non niſi conſultò, Aph.24.l.1.
& cum præmeditatione ſuſcipiendum vult author noſter τῶν προεξελκεινήσαντας ποιέειν, inquit, qua dictione docet, interpretante Galeno, ea de re nunquam nobis cogitandum niſi maturè adhibito conſilio, ægro vt decet præparato, & idoneo tempore quo rectè res definiri poſſit. Vnde colligere licet quantùm circa remedij iſtius vſum circumſpectum eſſe oporteat. Rationes verò quibus adductus fuit vir ille ſummus vt purgantium vſum in morbis acutis adeò pertimeſcèret, ſunt innumeræ. Vtque à natura morborum acutorum ordiamur; norunt omnes eos omnino magnos eſſe & ſymptomatum vehementia graues, qui cum febre aſſidua ægros exercent, ſiue ea ſit eſſentialis, ſiue ſymptomatica, quæ internas omnes phlegmonas comitatur, pleuritidem, peripneumoniam, hepatitim

Digitized by Google

&c ſimiles; vtraque à purgatione qualibet exacerbatur & incandeſcit, quamdiu ſcilicet ea eſt ἐν ἀκμῇ & vehementiùs ardet. Ardet autem eo modo, quia eſt de natura morbi acuti vt cum magnitudine & vehementia celerrimè
Aph. 7. L. 1. percurrat ſua tempora. ὁκου μὲν οὖν κατοξὺ τὸ νούσημα, αὐτίκα τοὺς ἐσχάτους πόνους ἔχει. Tunc purgare eſt ignem igni addere & humores incaleſcentes acriùs accendere. Quòd autem priuatim attinet ad febres ſymptomaticas, quæ coniunctam habent in parte aliqua ſyſtrophicam inflammationem, ſi ſtatim inter initia morborum medicamentum purgans exhibeatur, non tantùm ab intenſa inflammataque parte nihil adimitur (nec enim cedit obſequitúrve, qui adhuc crudus eſt, humor) verùm etiam ipſa inflammatio augetur, & quæ morbo obſiſtunt partes & ſanæ ſunt, contabeſcunt, teſte Hipp. 4. acut. Quo loco paulo ante dixerat ſyſtrophicas inflammationes ſolui non poſſe, ſi quis primùm purgante medicamento vſus fuiſſet, φλεβοτομίην ἢν τοιοῦτο ἢ ἡγεμονικὸν ἔῃ, inquit. Eiuſdem dictatoris ſententia eſt, πέπονα, inquit, φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμά, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν. At omnes humores, præſertim bilioſi, qui vt plurimùm ſunt morborum acutorum cauſæ, in principijs ſemper crudi ſunt, ideóque efferi & contumaces, vnde fit

fit vt varia inducant ſymptomata eò acerbiora, quò magis irritantur, tormina, vertigines, faſtidia, & cætera. 9. aph. l. 2. notata. Illos itaque Galen. humores nec mouere, nec vllo purgante medicamento irritare conuenit, ſed concoquere, mitificare ſeu mitiores efficere, ad commodam ſuo tempore vacuationem. Quod quidem opus etſi proprium ſit natiui caloris omnium concoctionum auctoris præcipui, tamen natura etiam indiget arte, quæ calore febrili reſtincto aut ſaltem remiſſo ſuum natiuo calori principatum aſſerat, & humores ita præparet, vt trahenti poſtea medicamento obſequantur. Atque eo modo interpretari licet Hippocratis aphoriſmum, quo corpora quæ purgare volu- 6. l. 2. mus εὔροα facere iubemur. Nam per phlebotomiam calorem febrilem reſtinguimus, & victus ratione tenui & humectante, necnon medicamentis obſtructa ſine calore liberantibus humores fluxiles reddimus, & ſi qui craſſi ſunt lenti & viſcidi, eos priùs incidimus & attenuamus. Sic natura leuata ex parte ea humorum ſarcina, ſui iuris fit & fœliciùs incumbit in concoctionem eorum qui ſuperſunt humorum quos aliàs præparandi facultas non erat; cúmque coctionis ſigna in vrinis & alijs excretis manifeſtò ſe ſe prodiderint, tunc de purgatione

conſilium ineundum eſt: ſed ea blanda atque benigna qualis inſtitui poteſt ex fol. orien. ſiliqua Ægyptia & ſimilibus, non ſcammoniatis illis pleriſque in locis, imò fermè omnibus, ſi Lutetiam exceperis & nobiliora aliquot Galliæ oppida, nimiùm frequentibus à quibus καῦμα in præcordijs accenditur, febris augetur, ſitis inexhauſta accerſitur, & reliqua ſymptomata ingraueſcunt, vt teſtatur Hipp. lib. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, Aëtius tetr. 1. ſec. 3. c. 25. Act. c. 8. l. 5. meth. Meſ. c. 1 l. 1. de med. purg. Sed cum materiæ morbificæ concoctio integra & perfecta iudicabitur, infuſi follicul. & caſſ. doſis larga vt plurimùm erit ex vſu, quæ liberè & liberaliter humorem iam paratum διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων eliminet. Idque naturæ tanquam optimæ ducis exemplo, quæ niſi poſt concoctionem, & ſecretis prauis ſuccis à laudabilibus ad excretionem ſe comparat. Vnde cum Galeno ſic concludo: neminem ad purgationem eſſe aptum cui crudi, viſcidi, & craſſi ſunt humores, cui diſtenta & meteora hypochondria, cui ſupra modum calidæ & igneæ vrinæ, & cui in viſceribus aliqua eſt concepta inflammatio. Contra, ſi humor mitior ſit, & fluxilis, ac nullo lentore præditus, apertique ſint meatus per quos excerni debet, nullus in hypochondrijs meteoriſmus, nulla-

Digitized by Google

que ſubſit obſtructio, ad purgationem intrepidè ſe accingere debet medicus. Contingit tamen aliquando naturam tanta humorum ſaburra grauari & obrui, vt hanc ſuperare & euincere nequeat niſi parte oneris leuetur, quo tempore licet prudenti & perito medico, ſi præſertim de inchoata humoris morbifici concoctione conſtet, eam ſubleuare blando cathartico, quo imminutam materiæ molem faciliùs concoquere queat; idque prioribus diebus ſæpius celebrata & repetita venæ ſectione ex illo textu μετὰ φλεβοτομίην φαρμακείη, idque adhuc cum præmeditatione & multa cautione faciendum, vt norint omnes noſtra quæ propinamus medicamenta eadem eſſe quæ Homerus commendat φάρμακα μητιόεντα, id eſt, magna prudentia & maturo conſilio præſcripta. Odyſſ. ι.

---

## CAPVT III.

*In quo rationes hæmophoborum proponuntur & diluuntur.*

SVAM de præponenda catharſi ſententiam confirmant αἱμοφόβοι authoritate Hippocratis qui aph. 10. l. 4. ſcribit φαρμακεύειν ἐν τοῖσι λίην ὀξέσιν, ἢν ὀργᾷ αὐθήμερον, priuſquam, vt vult ibi Gale-

nus, robur corporis diſſoluatur, vel febrilis calor augeatur, vel in principem aliquam partem decumbant ij qui per corpus vagantur humores. Cui rationi reſpondet ipſe Hippocr. eodem aphor. vbi agit tantùm de turgente materia, & aph. 22. l. 1. Vbi cruda medicari vetat in principijs, ἢν μὴ ὀργᾷ, τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ, vt plurimùm non turgent, imò verò, ait Gal. humorum μεταῤῥύσεις ſiue motus reciproci raro ab vna parte ad aliam contingunt, ſed frequentiùs quietem habent, & in vna parte conſiſtunt in qua humores temporis tractu concoquuntur, vſque ad morbi ſolutionem. Itaque apud nos, quibus humores non ſunt ita ſinceri, tenues & incitati vt cum habeant orgaſmum Cois & cæteris Orientalibus magis familiarem, nihilominus adhuc inter eos rarum, aut iſte aph. 10. l. 4. vix locum habet, aut ſi fortè contingat aliquando ſimilis orgaſmus & impetus, humor ille catulliens & huc illuc concitatus excerni debet ſtatim ab initio morbi & eadem ipſa die ſi fieri poteſt, ſed ἄνω potiùs, ſi eò vergit humor, quàm κάτω, vt feciſſe ſcimus Hippocratem qui supernè magis quàm infernè, præſertim æſtate, purgantia vſurpabat. Alia etiam authoritate petita ex aph. 29. l. 2. ſe tuentur hæmophobi, ἀρχομένων τῶν νούσων ἢν τι δοκέῃ, κινέειν, κίνει. Vbi illud κινεῖν va-

Et ita Gal. 8. κατὰ τόπους, ἢν μὴ ὀργᾷ interpretatur, niſi motus ad excretionem nos adducat qui nondum firmam aliquam inclinationem ac ſtationē ad vnam partem habeat.

cuationem ſignificat, quam præſtat circa principia promouere quàm morbo conſiſtente, quo minorem iam factam materiam natura poſſit concoquere. Sed hanc rationem phlebotomiæ potiùs fauere quàm purgationi teſtatur illic Galenus. Circa initia, inquit, tentanda ſunt maiora remedia. Sunt autem hæc, præcipuè quidem venæ ſectio, nonnunquam verò purgatio. Verùm per phlebotomiam longè faciliùs & fœliciùs quàm per purgationem materia morbifica minuitur, cum in maioribus vaſis inter alas & inguina contineatur. Quæ autem extra vaſa eſt, ſi quæ ſit, clyſmo tutò educitur, ſi non tota, ſaltem eius pars quæ πεπασμὸν admiſit. Atque vtraque concoctionem aſſequitur, quiete, litu, mulſa aquoſa, ptiſanæ cremore 4. acut. Sed medicamenta purgantia non admouebis, inquit Hippocrat. ſi ventrem moueas, vrina non maturabitur febríſque citra tum ſudorem, tum aliam indicationem in lõgum protrahetur: vbi Galenus. Si quieti ægrum permittere, vngere, & cætera. præſtare quæ Hippoc. ſuadet, coctioni humorum confert, purgationes, inquit, contrariæ ſunt. Idem Gal. 11. meth. αἱ καθάρσεις ἐναντίαι εἰσί.
quæ putruerunt, per vrinas & aluum commodiſſimè vacuantur citra calorem valentem cremore ptiſanæ, aqua mulſa, oxymelite, apome-

Com. 4. de vic. acut. lite, & apij radice. Vbi purgationum nullo modo meminit, nempe corpus vehementer mouentes frangunt, & calorem natiuum omnis probæ coctionis authorem accendunt, vnde febris exacerbatur, recrudeſcunt humores, morbus prorogatur & ſæpè infœlicem euentum ſortitur. Præterea obijciunt hæmophoβοι exemplum corporum inanimatorum putreſcentium, quorum pars quæ iam computruit abſcinditur, aut alio quocumque modo ſeparatur; quod ſupereſt aëri frigido ventilandum committitur: ſic in viuis & animatis corporibus quod ſemel corruptum eſt omni ratione vacuandum per vrinam, deiectiones, vomitum aut ſudores: quod reliquum eſt moderatis motibus & refrigerante perſpiratu ad debitam ſymmetriam reducendum. Sed iſta ſimilitudo nihil aliud ſuadet, niſi vt poſtquam natura corruptum ab integro, prauum à bono ſucco ſecreuit, aut ſecretioni locum dedit per commodam expulſionem proprijs ſignis indicatam, tunc illius motum omni arte iuuemus. At verò hæc ſecretio in principio morbi fieri non ſolet. Sunt quidem illius nonnulla in augmẽto morbi rudimenta, in ſtatu certa, in declinatione certiſſima ſecretionis & concoctionis argumenta. Quo tempore ἀσφάλειαν totam in exhi-

11. met.

benda catharſi nobis polliceri fas eſt. Alioqui tormina, cruciatus, animique deliquia præſtò ſunt, vt priùs dictum eſt, nec ἀξιόλογον quidquam educitur, quandoquidem crudi omnes ſucci, pigri, atque ad motum inepti propter craſſitiem & tenacitatem ſunt; ideóque hærent vt plurimùm in minoribus vaſis, in quibus obſtructiones contumaces pariunt, vnde ne vehementiorum quidem medicamentorum vi detrahi poſſunt; quin alijs ſunt impedimento, vt pote bilioſis ſemper ad motum paratioribus. Vnde fit vt per huiuſmodi obſtructiones coërciti & fluere prohibiti nouum ignē concipiant ac τὸ καῦμα toto corpore accendant: quòs ſemel ardore concepto, ſi quis purgare aggrediatur, malum inſanabile reddiderit, inquit Duretus in Coacas prognoſes. Hæc tamen ratio non ſatisfacit hæmophoβοις. Quinimò arguunt ex eo Hipp. loco de victus ratione in acut. vbi de ea pleuritide agens quæ ſub diaphragmate ſitas partes occupat, ventrem nigro veratro vel peplio mollire iubet, inflammatas partes purgatione leuari poſſe. At Gal. comm. in eum locum hoc conſilium reuocandum cenſet ad aph. 24. l. 1. ἐν τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι. Vbi igitur, inquit, non ſolum acutus morbus fuerit, cuiuſmodi eſt pleuritis, ve- Comm. 2. acut.

rùm etiam cum febre vehementiſſima, multò magis vitãdus eſt medicamenti purgantis vſus, atque per venæ ſectionem vacuandum magis, etiamſi ad hypochondrium dolor pertingat: Nempe etſi minus quidem inde auxilium quàm per purgationem ſibi quis polliceri velit, ſecurius tamen multò eſt à phlebotomia. Imò verò, inquit, nullum ab ea periculum impendet, at maximum à purgatione.

## Capvt IV.

### *In quo Phlebotomiam præmittendam purgationi docetur.*

Alterum artis medicæ κενούμενοι τοιούτων ἁπάντων ἑτοιμότατον καὶ ῥᾷστον phlebotomia eſt τοῦ μεγάλου νοσήματος, qualis eſt omnis morbus acutus τὸ ἰσχυρὸν καὶ μέγα βοήθημα vt loquitur Galenus. Atque acutorum quidem morborum tam eorum qui nullum obſedere locum, ſed æqualiter in omnibus corporis partibus apti ſunt ex ſua natura generari, quàm illorum qui in parte aliqua ſyſtrophicam inflammationem efficiũt, remedium ἡγεμονικὸν καὶ δραστικώτατον eſt phlebotomia, quam qui omittit vbi magnus eſt morbus, vel à ſyſtrophe, vel ab incendio, vel ab oppreſ-

περὶ φλεβ.

ſione

Digitized by Google

ſione & virium robur adeſt, tam eſt in vitio, inquit Duretus, quàm ſi ipſe manus inferret ægrotanti. Non poteſt autem maior eſſe morbus quàm qui principem partem vt cor aſſiduo igne deurit, quod febris acuta facit; aut omnes animales functiones intercipit, vt in apoplexia contingere ſolet, per ſynathriſmum repentinum humoris in cerebri ventriculos. Neque verò ſolùm vbi iam adeſt morbus magnus ſanguini mittendo locus eſt, ſed etiam vbi futurum eſſe ſuſpicio eſt. Ideóque ſanis etiam & conſueta adhuc munia obeuntibus cum ab inſigni plethora vaſa diſtenduntur & de eorum corruptione aut ſyſtrophe φλεγμονώδει partes periclitantur, vtiliter ſanguis detrahitur præſertim obnoxijs hæmoptyſi, epilepſiæ, apoplexiæ, peripneumoniæ, pleuritidi, anginæ, hæmorrhoidibus, ophthalmiæ, vertigini, arthritidi, rheumatiſmo.

Quibus quidem affectibus imminentibus ſi phlebotomia poteſt occurrere, multò magis præſentes leuare, nec leuare tantùm, ſed perſanare ſæpe repetita poteſt modò virium robur adſit. Quamquam etiam citra vllam plenitudinis notam vniuerſo corpore imbecillo facto, & principibus illius partibus in quibus paucus adhuc ſupereſt ſanguis, grauari ſolitis, eumque



Digitized by Google

ad carnoſas iuxta cutem partes protrudentibus; non aliter natura leuari & recreari poteſt, quàm parca ſanguinis miſſione. At in ea plenitudine quæ tenſiuą dicitur, in qua ſcilicet vaſa diſtenduntur, nec non in ea quæ phlegmones ſenſum adfert; quæq; non tantùm à plethora, ſed etiam à cacochymia ortum habet, larga ſanguinis detractio certam ad priſtinam ſanitatem viam aperit. Satisfacit enim tribus medici ſcopis iiſdem ferè ad quos refertur omnium phlegmone obſeſſorum curatio. Quod redundat, vacuat; diſtentum, relaxat; & inflammatum, contemperat. Sed quia πλῆθος αἵματος ἠθροισμένον θερμοῦ κατὰ τὸν ὀγκόν ἐστιν. venæ autem ſectio ſuccos è vaſis emittit, vtile eſt, ait Gal. poſt priorem detractionem tantiſper intermittere, dum aliquid eorum qui in corpore ſunt humorum remigret ad venas. Quod tamen quoniam committendum non eſt vt in ijs maneat, vt pote ἡμιμόχθηρον, ſed potiùs plurima eius pars expellatur, ideo detractionem ſanguinis etiam ſecundo die iteramus. Aliquando verò & in tertio, vbi ſcilicet reuellere, & ex alijs in alia transferre viſum eſt. Alioqui phlegmones aut eryſipelata præſto ſunt, præſertim ſi plethoricum aut impurum corpus ſit. Quòd ſi neglecta primis diebus phlebotomia oleo calente perfundātur hypochon-

4. de ſan. tuen.

dria, aut cataplaſmatis laxantibus onerentur, quod feciſſe gregales ſui temporis medicos indignatur Galenus, quouis modo redundent humores ad partem excalfactam trahuntur & ſyſtrophicas inflammationes creant nunc in iecore, nunc in ventriculo aut aliquo reliquorum viſcerum: quod probat exemplo diuitum illius ſæculi, quorum maior pars propter mollitiem phlebotomiam non admittebat, etiamſi plethoricis affectibus magis quàm pauperes eſſent obnoxij, quippe qui & genio magis indulgerēt, & otio torperent. Sic collecta ſanguinis copia & excrementorum ſaburra 4. 5. aut ſaltem 6. febris aſſiduæ die phlegmonem in præcordijs contrahebant. Quo tempore pauperibus vel diuitum ſeruis ſimilium febrium criſes ſalutares contingebant. Diuitibus verò, quibus fuerat omiſſa phlebotomia, & hypochondria intempeſtiuè excalfacta, ferè omnibus præmatura mors aderat. Nec diuerſo multùm fato eandem etiam methodum apud Eraſiſtratæos noſtri ſeculi inualuiſſe videmus in curanda pleuritide, peripneumonia, phrenitide, angina & cæteris inflammationibus quas aut iulepis, aut topicis remedijs ſolis ſe perſanaturos ſperant neglecto interim generoſo remedio, phlebotomia inquam, aut ea parciùs celebrata. Longè 11. meth.

aliter ſe gerebat diuinus noſter ſenex qui morborum illorum cauſam vnicam phlegmonem eſſe ratus, illius vnicum remedium epaphæreſim audacter vſurpare erat ſolitus: ego verò inquit Galenus ad eum locum, non hos morbos tantùm, ſed etiam ſpaſmum & hydropem ſanguine miſſo ſum medicatus, cum vterque morbus in viris ob hæmorrhoidum retentionem, in mulieribus ob menſium ſupreſſionem accidiſſet; ſic idem Hippoc. Stymargi famulam Idumæam cui poſt partum ne ſanguis quidem prodijt & illicò vteri os ad iſchium detortum eſt, vena malleoli ſecta perſanauit quamuis tremores iam corpus occupaſſent. Quod nemo alius præſtitiſſet, inquit Galenus, in tremoribus æquè atque hydrope alióve frigido affectu: in talibus enim ex calidi ſucci euacuatione corpus frigidius efficitur, & calor natiuus iam antea multùm fractus prope extinguitur. At magnus ille vir, inquit, quid cauſæ eſſet cur lochia expurgari non poſſent, nouerat; nempe vteri os contortum, vnde ſanguis, quem vacuari oportuerat retentus, non tantùm naturæ oneri erat, ſed ita grauis & moleſtus, vt tremoribus locum daret, à copia ſanguinis grauata facultate. Indicabat copia vacuationem, affecta pars de malleolo phlebotomiam. ἐπὶ τὴν πρόφασιν διελθεῖν, ait

De vict. acut.

Hippocr. ἐκ τῆς προφάσιος τὴν ἀρχήν. Ægrotantem illum in Oeniadis 5. epid. qui dolore colico contabefactus nullis ne quidem purgantibus remedijs leuabatur, ſuis mochlicis medicamentis exanimaſſent. Is ſecta partitis vicibus vena vtriuſque manus donec exanguis fieret ſuadente Hipp. conualuit, raro in tanta ventriculi imbecillitate ſummi ingenij exemplo. Obſeruauerat ille internum incendium ex hypochorematis συγκεκαυμένοις. Atque hæ ſunt artes, hæc conſilia medici eximij quem diligenter ratiocinari & ſcire oportet qui ſint morbi, quæ cauſæ, quæ remedia, & hæc quo loco, quo tempore, qua quantitate vſurpanda ſunt. Sunt ergo morbi qui generoſum noſtrum præſidium imprimis poſtulant, ardentiſſimæ febres, maximæ inflammationes, & vehementiſſimi dolores, in quibus ad leipothymiam vſque ſanguinem mittere iubet Hipp. vbi vires ſinunt. Ex eo præſidio totus corporis habitus refrigeratur, febrilis ardor extinguitur, & multis etiam aluus ſoluitur, quibuſdam etiam ſudores manant, atque aut dolor omnino tollitur, aut eius vehementia remittitur. Nihilominus ſi vires tantam vacuationem ferre non poſſunt, licebit quod primæ detractioni defuit per epaphæreſim ſupplere; quamquam ex partita iſta venæ ſectione



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

non tãta accedere poſſit contemperatio, quàm ea quæ fit ſemel & ſimul ad λειποψυχίαν, eam ſcilicet in qua adhuc æger loquitur, audit, vidétque adſtantes. Sed hæc medendi ratio ſolum Galenum aut ſimiles viros magnos & fiduciam magnarum rerum habentes decet, non leuia illa ingenia quæ Galeni tempore Romæ medicinam faciebant. Inde maximam ille gloriam ſe conſecutum ſcribit, quòd ignauis illis, ne dicam, ignaris medicis audacior ad libras interdum ſex ſanguinem detraxerit, interdum minus pro varietate corporum, vnde confeſtim febris extincta viſa eſt, nec vlla virium ſecuta eſt afflictio. Hinc eſt, inquit, quod Romæ Galenum per iocum dicerent iugulare febres. Hoc tempore vix ſexquilibram ſanguinis detrahimus citra magnam virium exolutionem etiam in corporibus vegetioribus, Quidam linquuntur animo poſt vncias xij detractas, nec non alij poſt vncias ix cuius mẽſuræ frequẽtior eſt vſus.

---

## Capvt V.

### *De Epaphareſi.*

IN hac diæreſeos ſpecie, ſi qua alia, virium robur maximè attendendum eſt; cum etiam

Digitized by Google

peritis medicis virium infirmitas ſæpè in morbis non ſatis perſpecta ſit, vt monet Hipp. 2.de vict. acut. Aliàs enim propter κενεαγγίαν,, ex longa hæmorrhagia, diarrhoëa, vomitu, vel inedia, vel ſudoribus; aliàs ob πόνον, ex δυσφορίᾳ, ἀλυσμῷ & vigilijs; aliàs ob ἐρεθισμὸν, ſiue δῆξιν præſertim ventris vel inteſtinorum, vires ſui iacturam maximam patiuntur; vnde fit vt vacuationem alioqui neceſſariam, aut dehortentur, aut parciùs celebrandam indicent. His non immerito addit magnus ille vir temperamentum & habitum corporis, quibus cognitis, inquit ille, ſalus ægro, ignoratis mors adfertur. Nam qui rariorem à natura corporis ſtructuram adepti ſunt, tum facilè reſoluuntur, tum etiam syncope corripiuntur, vixque qualem & quantam fieri oportet ſanguinis detractionem ferunt. Qui verò denſiorem habitum & amplas venas habent, vacuationes neceſſarias, phlebotomiam imprimis facilè tolerant: in ijs ergo quibus eſt rarior corporis habitus, ſi fortè morbi magnitudo copioſam ſanguinis vacuationem poſtulet, eam partiri conueniet, ac eodem die repetere, nec non poſtero, atque etiam 3. & deinceps, pro vt ſanguinis feruentis copia febrem accenderit, eam præſertim quæ coniunctam habet phlegmonem ſyſtrophicam in qua po-

tentior fit reuulſio ſubinde repetita epaphæreſi, idque qualibet diei hora, cum aut doloris acerbitas, aut phlegmone id poſtulant. In alijs febribus præſertim ijs quæ certas habent periodos, aut remiſſionis, aut declinationis tempus obſeruandum eſt, quo fœliciùs vena tundi poteſt; quo ſcilicet natura recreata alacriùs inſurgat ad noxij humoris vacuationem.

Ætatis etiam & regionis rationem habendam vult Galenus, nam pueris ante 14. ætatis annum, & ſenibus poſt ſexageſimum ſanguinis miſſionem conſtantiſſimè denegat. His propter virium infirmitatem, illis propter fluxam & facilè diſſipabilem ſubſtantiam in corpore calido humido & raro; ſunt enim ἀραιόσαρκοι. Nihilominus cum eodem Galeno teſte, in functionibus naturalibus auctione, concoctione, diſtributione & nutritione, pueri planè cæteris ætatibus præſtent, licebit cum ſanguinis mittendi neceſſitas vrget, etiam lactantibus tantùm detrahere, quantùm vires ferre poſſunt, minus quidem quàm iuuenibus, minus in calido cælo quàm in frigido, minus æſtate quàm hyeme, minus etiam quàm plenitudo poſtulat propter corporis mollitiem. Hinc laudatur celeberrimus inter Arabes medicus Auenzoar quòd filium ſuum triennem angina grauiſſima

laborantem

laborantem vena in cubito ſecta ſanauerit; ſed laudandum magis conſilium medicorum Pariſienſium qui infantibus trimeſtribus, imò interdum vix menſtruis fœliciter ſanguinem detrahunt, quotieſcumque id remedium morbi magnitudo ſuadet. Senibus etiam ſeptuagenarijs quando poſtulat affectus & virium robur adeſt, audacter mittendum alibi cenſet Galenus; ſunt enim, inquit, qui ſexageſimo ſuæ ætatis anno phlebotomiam non ferunt, cum ſeptuagenarij, quibus validæ ſunt vires, alacriter ferant. Hinc eſt quod Latinus Hippoc. Celſus, intereſt, inquit, non quæ ætas ſit, ſed quæ vires ſint; nam robuſtus ſenex hoc auxilij genere tutò curatur; quod idem ſtatuit de firmo puero & grauida muliere valente. De cur. per ſang. miſſ.

Sed regionis quoque & temporis habenda ratio eſt. Nam ſingula tempora & regiones ſingulæ ſuas habent proprias aëris conſtitutiones, ſecundùm quas largiùs vel parciùs ſanguis mitti debet. Parciùs quidem quàm plenitudo ſuadet æſtiuo tempore, præſertim ſub cane, quia tunc citiùs vires exoluuntur, & hyberno tempore quia torpent. Vbi anni tempus vehementer vel frigidum, vel calidum eſt, nemo venam ſecare audet, ait Gal. de ſectis, niſi neceſſitas cogat ad hanc veluti ſacram anchoram confu-



Digitized by Google

gere. At vere & autumno, quia tunc ſanguis, ſaltem vere, redundat magis, & nullus tunc caloris aut frigoris exceſſus obſeruatur, largiùs ſanguinem detrahere licet.

In regione pariter calida ſicca & proinde æſtuoſa, quia calor natiuus facilè reſoluitur, minus detrahendum, ſicuti etiam in frigidioribus regionibus propter ſequentem nimirum refrigerationem: at in temperata, qualis eſt quæ ſub medio ſexti climatis, & ſeptimo integro ab altitudine ſcil. poli arctici quæ à 45. ad 49. aut 50. gradum extenditur, quorum incolæ ſunt ἀταλαίπωροι, χρεόφαγοι, & πολύαιμοι, audacter ſanguis mitti debet. Hinc eſt quod Lutetiæ, cuius latitudo eſt 48. gr. 50. m. & tota ēa Galliæ parte quam Sequana & Ligeris alluunt, vbi tranquillè & lautè plerumque viuitur, ac proinde ſanguis vberior colligitur; largior & frequentior phlebotomia ſine virium exolutione celebratur, quàm Toloſæ, Narbonæ & toto eo tractu quem mare Mediterraneum lambit, vbi parcè & tenuiter viuitur. Adde quod aër illìc frigidior & craſſior, hìc calidior & tenuior eſt. Vnde fit vt tot frequentes leipothymiæ apud ipſos, imò interdum ſyncopes conuulſiuæ aperto vaſe contingant, quales ſæpè in ijs regionibus obſeruauimus, præſertim in viris bilioſis. Imò

eiuſdem habitus, eiuſdem naturæ, eodem tempore qui Lutetiæ trium, vel 4. vaſorum vacuationem alacriter ferebant, eoſdem apud Occitanos & Prouinciales, imò apud noſtros Pictauienſes ἔκλυσιν ex phlebotomia paſſos ſæpè vidimus. Mirum magis quòd mulieres prægnantes, quas vena ſecta præſertim poſt ſextum menſem abortum feciſſe ijs locis conſpeximus, Lutetiæ & toto tractu proximo quolibet geſtationis menſe etiam 7. 8. & 9. ſanguinis miſſionem facilè & alacriter ferant ſine fœtus diſpendio; atque etiam in partu ipſo, ſi vel minimùm laborioſus videatur, fœliciter vena ſecatur. Sed mirari deſinemus ſi præter aëris conditionem, quæ ſpirituum reſolutionem prohibet, attendamus etiam epulas prolixiores, otium & ſomnos longiores mulierum Pariſienſium, quarum corpus εὔσαρκον & obeſum ſatis teſtatur quo vitæ & victus genere vtantur.

Supereſt videndum an quemadmodum plenitudini, quæ vaſa diſtendit, phlebotomia imprimis conuenit, ei etiam quæ vires grauat, cui Galenus & cæteri medici ſolam purgationem competere ſcribunt, illa ſit ex vſu. Hic nodus facilè diſſoluetur, ſi dicamus in acutis febribus, ijs præſertim quas putredo in vaſis accendit, non quantitate adeò peccare humores quàm

qualitate. Ideóque putrentes iſtos in vaſis humores, qui maximo ſunt naturæ oneri, per phlebotomiam commodiſſimè ſaltem ex parte vacuari, potiſſimùm primis diebus quibus purgatio conuenire propter cruditatem non poteſt; & poſtquam pepaſmum caloris natiui beneficio aſſequuta eſt, eorum pars quæ ſupereſt, purgantium vſu tanquam proprio & accommodato remedio tollitur. At febres quæ ab inflammatione ſyſtrophica ortum habent, tantùm abeſt vt purgatione leuentur, quin potiùs ſi pro phlebotomia purgatio inſtituatur inſanabiles fiunt aucta inde phlegmone. Sed quouis tempore idonea eſt illic venæ ſectio ſiue cum humor eſt ὁρμώμενος, ſeu cum eſt συνιστάμενος. Primo modo ad reuulſionem, ſecundo ad vacuationem: nec quia in pleuritide grauitatis ſenſus eſt circa mammam, & brachium, ideo purgare licet, ſed potiùs per venæ ſectionem rheuma conſiſtens & concitatum, tùm detrahendum, tum reuellendum eſt, idque κατ' ἴξιν ſiue è directo partis affectæ. Nam vt quæ fit naturæ lege hæmorrhagia nunquam in bonis ducenda eſt, niſi fiat κατ' ἴξιν; ſic ſanguinis detractio nunquam aliter vſurpari debet quàm κατ' ἴξιν, quia inflammatio ſyſtrophica ortum habuit à rheumate conſiſtente quod prius κατ' ἴξιν concitatum fue-

rat: atqui ducendum ſemper qua vergunt quæ faciunt phlegmonas ſyſtrophicas, vergunt autem omnia κατὰ λόγον & ſua ſponte κατ' ἴξιν, ſic hæmorrhagia de naribus lateri dolenti, hypochondrio diſtento, & lieni tumenti κατ' ἴξιν reſpondens ſalutaris eſſe ſolet, atque eam laudat Hippocr. 2. & 6. epid. Eam verò hæmorrhagiam quæ ἀνάπαλιν fit damnat primo prorrhet. vt cum ſanguis è nare dextra fluit in lienis inflammatione aut cum è ſiniſtra iecore inflammato: & in coacis apud Duret. cap. 13. τὸ ἀνάπαλιν αἱμοῤῥαγέειν πονηρὸν οἷον ἐπὶ σπληνὶ μεγάλῳ ἐπὶ τῶν δεξιῶν καὶ κατὰ ὑποχόνδρια ὡσαύτως. Cæterum Gal. mos eſt vt in morbis qui partes infra collum ſitas veluti pulmonem, diaphragma, ventriculum, iecur, aut lienem malè habent, tundatur vena interior ſeu baſilica: In affectibus autem earum partium quæ ſupra collum ſunt, aperiatur exterior ſeu humeraria ſiue cephalica: mediana verò cum propria vena deliteſcit, præſertim ſi à propria illa deriuatur, vt iecore affecto mediana quæ à iecoraria deducitur, quemadmodum liene laborante mediana quæ à lienari diducta eſt. Quæ quidem methodus etſi magni ſit in artis operibus momenti, omnino nec ſemper obſeruari poteſt propter variam venarum in brachijs diuaricationē, & modò vnius modò vtriuſque



Digitized by Google

venæ ἀφαίρεσιν. Nihilominus quandocumque & vbicumque licebit, amplectenda eſt ea curãdi ratio, maximè per eam quæ κατ' ἴξιν fit phlebotomiam, cuius contrariam ab ijs qui ad Reip. gubernacula ſedent edicto publico inhibendam eſſe ait Fuchſius, niſi fortè tanta ſit corporis πολυαιμία, vt ne pars affecta ea obruatur ex aduerſa vacuandi conſilium capiendum exiſtimet peritus medicus.

In lib. de cura. per ſang. miſſ.

Auſim ego certò ſtatuere nullum magnum eſſe morbum cui phlebotomia non ſit præſentiſſimum remedium. Ratio eſt quia natura optima medendi magiſtra & cuius ſalutares motus imitari debet medicus, magnos morbos profligare ſolet largo ſanguinis profluuio. Larga hæmorrhagia à magnis morbis liberat, ait Hippocr. & hac ratione nititur Gal. vt neceſſitatem phlebotomiæ probet vbi & quotieſcumque eam morbus poſtulat, ſed eam non capiunt Eraſiſtrati aſſeclæ plebei medici & omnes ferè Empeirici, præſertim cum de ea celebranda agitur in febribus purpuratis, morbillis, variolis, apoplexia pituitoſa, pleuritide infera, colico dolore bilioſo, diarrhoea, hydrope, arthritide, atque etiam in prægnantibus: aut quia profani vulgi rumores ponunt ante ſalutem ægrotantium, aut quia omnia tuta timent, aut

Lib. 2. epid. περὶ φλεβ.

etiam quia non ſatis apud ſe reputant eum ſanguinem qui laudabilis & ſincerus eſt, neque vllo quantitatis aut prauæ qualitatis vitio moleſtus eſt quamdiu talis extiterit, hominem ſanum alendo conſeruare, & corporis functiones omnes, caloris natiui & ſpirituum, quibus vndique perfuſus eſt, beneficio alacres efficere: at ſtatim atque naturæ grauis eſſe cœperit & vitioſus, omnia retro ſublapſa referri & functiones omnes lædi. Tunc artificis opem, qua quod iam à natura alienum factum eſt eliminari, & iſto onere quo illa veluti ſarcina premitur leuari poſſit neceſſariò poſtulare fatebuntur. Hos ergo morbos quibus prætexunt modò κακοήθειαν, modò experientiam aduerſam atque etiam interdum ipſius Hippocratis authoritatem malè conceptam ad examen reuocemus.

---

## CAPVT VI.

### *De purpureis maculis in febribus aßiduis, morbillis & variolis.*

PVrpureæ maculæ, (quas κωνώπων ἀναδήγματα Lib. 2. epid.
ſiue ἀναδήγματα vocat Hipp.) neque paruos & 7. in Pherecyde.
neque mites inſequuntur morbos, ſed malos In aph. 1. l. 7.
atque malignos, vt de omnibus ἐπιγινομένοισι Ga-

lenus ait. Neque verò ſunt aliud in febribus malignis quam irriti naturæ eiuſque oppreſſæ conatus, in quibus mouet illa quidem ſed imperfectè, & cruda adhuc materia. Itaque mirum non eſt ſi tota ſymptomatica eſt per hanc exanthematum ἀπόθεσιν eruptio, imò lethalis ex Hippocr. niſi ſuperuenerit purulentus abſceſſus cum vrinæ pepaſmo, atque is potiſſimùm circa aures. Alioqui toto ſparſa corpore nihil opis adferunt, ſed contra magis ægrotos affligunt, quia ex ichoribus venenatis ortum habent. Qua de cauſa medici ferè omnes, præter Lutetianæ ſcholæ proceres, ad cardiaca ſola recurrunt, phlebotomiam vnicum leuandæ naturæ præſidium aut metuunt, aut reſpuunt. Primùm quidem oppreſſam naturam à languida non ſatis diſtingunt: deinde cum venenatam iſtam qualitatem ſummæ putredinis ſobolem agnoſcant, veris & certis remedijs quibus putredo ſanari poteſt pertinaciter abſtinent. Putredo autem ſanabitur ait Gal. id quod iam corruptum eſt omni ratione vacuando: quod reliquum eſt moderatis motibus & refrigerante perſpiratu ad exactam ſymmetriam reducendo. Vacuationem moliri docet per vrinas, deiectiones, vomitum, ac ſudores. Sed omnium inſtar erit phlebotomia, quæ ſimul putreſcentem humorem

Lib. 11. meth.

rem

rem in venis coërcitum vacuat, & quod reliquum eſt ventilat ac putreſcere prohibet; ſed ea ſtatim morbo incipiente celebranda, ſi vires eius qui ex humorum putredine febricitat valentes ſint, ait idem Galenus eodem l. c. 9. De ea re conſtat huius authoris certiſſima experientia; cum vacuati eſſent, inquit, qui euaſuri erant, puſtulæ quas exanthemata vocant, nigræ toto corpore multæ apparuerunt, vlceroſæ quidem plurimis, omnibus certè ſiccæ, erátque intuenti perſpicuum reliquias eſſe ſanguinis qui in febri putruerat, quas veluti cinerem quemdam naturà ad cutem truſiſſet, ſicuti alia ex ſuperuacuis nonnulla trudit. 5. meth.

Quòd ſi exanthemata ad cutem ex intimis partibus efflorecentia recurrunt & refluunt, peſſima ſunt, inquit Hipp. primo prorrhet. quia fatiſcentis deficientíſque naturæ ſunt argumenta. Et in hoc caſu fortaſſe phlebotomia parum proderit, ſed in permanentibus maculis, viribus conſtantibus, illa quauis theriaca & quocumque alio alexipharmaco ſiue bezoardico erit præſtantior ad nouas vires naturæ ſuppeditandas, quibus ichoroſi illius humoris mitificationem & concoctionem, qua ſine curatio morbi nulla eſſe poteſt, promouebit. Neque tamen alloioticis refrigerantibus & humectan-

tibus cum aliqua aciditate ſuas partes denegare velim, imò illa tanquam copias auxiliares in ſubſidium vocanda eſſe cenſeo.

### *De morbillis & variolis.*

IDem ferè ſtatuo de morbillis & variolis, quæ etſi ab efferueſcentia & ζυμώσει ſanguinis ortum habent eiuſque menſtrui reliquijs infecti, vnde pueris familiares eſſe ſolent, natura ſuſcipiente eum motum copia & qualitate humoris excitata, nihilominus vt corpus ἀραιὸν fiat & facultas expultrix ſtimuletur atque noua putredo arceatur, venam flabellare licebit, eoque multò magis ſi febris vehementia vel ſuffocationis metus ex faucium inflammatione & partium vicinarum tumore id ſuadeat.

---

## Capvt VII.

### *De Apoplexia pituitoſa.*

APoplexiam omnem veteres fecerunt aut ſanguineã aut pituitoſam. Sanguineam quæ fieri ſolet ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ ζώου ῥέοντος ἀθρόως αἵματος πολλοῦ. Pituitoſam quæ fit ex copia τοῦ φλεγματώδους χυλοῦ ἐν ταῖς κοιλίαις αὐτοῦ τοῦ ἐγκεφάλου συναθροισθέντος.

Gal. de cur. per phleb.

Inde eſt quòd vtriuſque mali, tum generatio, tum ſolutio præceps & periculi plena eſt. Itaque oppletis ſupra modum cerebri ventriculis premi vires grauarique eſt neceſſe, nec ſuffocationis præſentis periculum effugere poſſunt ægri, niſi plenitudo, quæcumque ſit, ſine mora ſoluatur, τουτέων οὖν εἵνεκεν τὴν εὐεξίαν λύειν συμφέρει μὴ βραδέως, ait Hipp. Sola phlebotomia hoc præſtare poteſt & vaſorum ruptionem & caloris natiui ſuffocationem aut extinctionem inhibere. Si omnia membra vehemẽter reſoluta ſunt, ſanguinis detractio vel occidit vel liberat ait Celſus. Liberat ſi ſanguinea; occidit ſi pituitoſa eſt, vt nonnulli interpretantur. Nihilominus in pituitoſa etiam apoplexia ſanguinem mittere neceſſe eſt, vt vis animalis diffluere prohibita in partes infra caput poſitas aut propter aliquam διάθεσιν φλογώδη quæ in cerebro ſit concepta, aut ventriculis ipſis humore pituitoſo oppletis, reſurgat & ſpiritibus micantibus viam muniat. Neque enim quidquam eſt quod obſtructiones potentiùs ſoluat, ſaltem eas quæ ab adſtrictione aut compreſſione vaſorum fiunt, ita tamen vt euacuatio neque parcior neque largior fiat; ſed quę dum humorẽ redundantem vacuandum ſuſcipit vires etiam ægri reſpiciat, adeò vt vacuatio cõferat & eã facilè æger ferat.

Gal. l. 5. de ſymp. cauſ. c. 7.

Lib. 1. aph. 3.



Digitized by Google

## Capvt VIII.

### *De Pleuritide infera quæ vergit ad hypochondrium.*

PRæter ea quæ ſupra diximus de cauſis præponendæ phlebotomię purgationi in pleuritide inferiorum coſtarum ex Gal. ad eum locum vbi Hipp. catharſim præfert, rem altiùs repetere libet. Conſtat omnem phlegmonem, qualis eſt pleuritis, ex affluxu ſanguinis fieri inter vaſa & muſculorum ſpatia, vbi ſyſtrophe ſeu collectio ſupputari capax ſuæ generationis initium ducit. Fit autem iſte confluxus à ramis venæ ἀζύγου qui à nona, vel decima thoracis vertebra ſecundùm ſpinæ longitudinem propagati vel in emulgentem ſui lateris, vel in truncum venæ cauæ iuxta emulgentem deſinunt, vt inter omnes anatomicos diligentiſſimus Riolanus obſeruat. Vnde patet quantùm ſit neceſſaria etiam in hac pleuritide phlebotomia ad exhauriendum ſanguinem in trunco & ramis ἀζύγου regurgitantem. Quo fit vt idem Riolanus tam libenter in huius morbi principio detractionem ſanguinis è pede faciendam moneat, vt poſt eam cucurbitulæ cruentæ lumbis

In Anthrop.

admoueantur, conſulat. Et certè omnis partis phlegmone laborantis therapeia poſita eſt in redundantis ſanguinis vacuatione vel reuellente per phlebotomiam, vel deriuante per cucurbitulas. Tunc enim vacuationis indicatio refrigerationis indicationem vincit, contra quàm in eryſipelate, vbi refrigerationis indicatio magis vrget quàm vacuationis ait Gal. 13. meth. quamquam vtriuſque affectus curandi commune caput eſt humoris morbifici vacuatio, deinde etiam refrigeratio & doloris mitigatio. In hanc rem eruditiſſimi Dureti iudicium diligenter notandum eſt, omnium morborum ſyſtrophas alioqui ſanabiles fieri inſanabiles, niſi earum curatio initium ducat à ſanguinis detractione, præſertim ſi pro phlebotomia preſcribatur purgatio; cui locus eſſe non poteſt, niſi cum ad pepaſmum humores perducti fuerint, vt docet Gal. 4. acut. vbi agit de dolore lateris ſub thorace, & cum Hippocrate tamen aliquando ſtatim initio purgationem non improbat, cum non ſanguis ſolus, ſed quiuis alius vitioſus humor ob redundantiam vel qualitatem à valentioribus partibus expulſus, in has tanquam caſu aliquo imbecilliores factas procumbit, priuſquam tamen in parte certam ſedem fixerit. Et tunc elleborum & peplium ſuadet non defe-



Digitized by Google

pag. 388. Coa. ctu meliorum, vt plærique putant, ait Duretus, ſed delectu, cum ea omnium quæ nouerat Hipp. (plurima autem nouerat) præſtantiſſima eſſe crederet eaque ſimul mixta ὁμοιόζοντα.

## Capvt IX.

### *De colico dolore bilioſo apud Pictones nuper populari.*

QVæ ex dolore dorſi morborum principia ducuntur, difficilia ſunt; ait Cous ſenex; inde varia exurgunt ſymptomata ex bilis efferæ, quam parit præferuida iecoris intemperies, ſede varia: ſic colicus dolor ex ea effuſa in colum aut aliud inteſtinum, aut etiam eadem in membranarum ſpatijs collecta oritur. Sic epileptici inſultus ex humoris illius raptu aut excurſione in caput, aut eo oppletis cerebri ventriculis naſcuntur. Quòd ſi illa impetum faciat in originem neruorum opticorum cæcitatem facit, in ſpinalis medullæ ſuperiorem partem paralyſim aut ſaltem paraplegiam inducit. Neque verò bilioſus humor ſimplex tanta mala ciere poteſt, niſi vſtione tranſierit in atram bilem, quæ tres habet malignas qualitates quibus neruoſum & muſculoſum genus crudeliſſimè

mordet & proritat τὸ δριμὺ, τὸ ὀξῶδες καὶ τὸ διαβρωτικόν. Vnde eſt quod Hipp. aph. 36. l. 6. ἀπόσκηψιν καὶ ἀποπληξίην τοῦ σώματος καὶ σπασμὸν καὶ τύφλωσιν, morbis melancholicis ſuccedere ſcribit. Non tamen ſemper, ait ibi Galen. ſed cum ſupra modum exuſtus aut putrefactus malignam induerit acrimoniam. Ex hac ergo ſymptomatum ſyndrome conſtat acrem & efferum humorem à calidiſſima viſcerum intemperie genitum, non ſola hypochondria cruciare atque in ijs meteoriſmum & ζύμωσιν efficere, ſed totum neruoſum & muſculoſum genus per propagationem pungere & vellicare; nec ferè aliter eo natura defungi poteſt, quàm per largam hæmorrhagiam, ait Hipp. quam cum natura tentare prohibetur vel per humoris contumaciam, vel vaſorum obſtructionem, vel alio modo, hæmorrhagiæ vicem gerere debet phlebotomia, quæ eſt vnicum curationis huius mali præſidium & omnibus morbis quibus coniuncta eſt, vt hoc loco, totius œconomiæ naturalis diſpoſitio inflammatoria, vtiliſſimum. Nunquam tamen in curando colico dolore bilioſo qui à ſexaginta aut ſeptuaginta annis in toto tractu Pictonico graſſatus eſt, mihi duriùs cum circulatoribus aut mediaſtinis mulieribus bellum contigit, quàm cum phlebotomiam tanto malo vt duro nodo Coacar. lib. 2 c. 11. Sententia 24. apud Duretum.

Digitized by Google

durum cuneum conuenientem præſcripſi, ſiue ex brachio, ſiue ex pede celebrandam; pro vt ſuadebant magnitudo morbi & vires ægrotantis, adhibitis etiam vt par erat temporis, regionis, ætatis & cæterorum eiuſmodi indicationibus. Primis ortus ſui annis crudeliùs multò ſæuiebat & vehementioribus doloribus ægros cruciabat popularis iſta lues. Sed vt morborum omnium, imprimis verò popularium ſua ſunt principia, incrementa, ſtatus & fines, temporis tractu nunc is deſæuire videtur & remedijs obſequentem ſe præſtare qui pridem erat contumaciſſimus: ſiue quòd cœlum benigniùs nunc Pictonibus noſtris illuceſcat, adeò vt frugum, fructuum & vinorum acerbitas iam miteſcat; ſiue aliquo ſyderum influxu maligna illa aura, quæ tamdiu prouinciam illam exercuit aliò tranſlata ſit, & in varias Galliæ prouincias deportata, vt obſeruaui in nuperis curiæ peregrinationibus; Idque poſt Cratonem qui in Morauia & Sileſia ortum hunc morbum per totam deinde Germaniam propagatum eſſe teſtatur.

Capvt

## CAPVT X.

### *De Diarrhœa.*

Diarrhœa, quæ eſt liquida & frequens alui deiectio, fit vel ob atoniam ventriculi & inteſtinorum, quam tam calida quàm frigida illorum intemperies efficit, vnde chyloſis vel anadoſis læditur; vel ob δῆξιν ſeu morſum earumdem partium à medicamentis acribus, alimentis corruptis, & excrementis mordacibus, quæ ex corpore in aluum confluunt, bile imprimis acri inteſtinum abradente Galen. lib. de ſympt. cauſ. c. 2. & com. in 30. aph. lib. 3. atque in aph. 21. eiuſdem lib.

Hippocrates videtur in hoc caſu dehortari ſanguinis detractionem, cum ei cui ſanguinem detrahendum iudicat, aluum prius confirmare iubet lib. de victu acut. Sed vt eſt quarta & vltima huius libri pars, vnde hoc ſumptum eſt, conſarcinata ex ſcopis diſſolutis; ſic multa diſtinctione indiget. Nam primùm non conſtat de quo alui profluuio eo loco ſcribat Hipp. an cum febre an ſine febre: & ſi cum febre, critico ne an ſymptomatico: & ſi ſine febre, an ab intemperie calida an frigida ventriculi & in-

teſtinorum: & an à bile an alio humore vim expultricem ſtimulante. Criticum profluuium fit ſine vlla cruditate, craſſeſcentibus excrementis, copiosè, liberè ac raròducta aluo: atque hoc phlebotomia non eget; ἀλλ' ἐᾶν. Symptomaticum verò profluuium fit cum aluus fertur tenuibus, crudis & ὑδατοχόλοις, vel ſimilibus excretionibus ab expreſſione quam facit oppreſſio & proritatio inteſtini & ani à mordaci humore, qui à viſceribus, venis & toto corporis habitu in aluum influit. Et hoc ſanguinis detractione indiget ad viſcerum contemperationem, vaſorum vnde acris ille humor eructatur, ventilationem & eiuſdem humoris copia vel qualitate moleſti vacuationem. Quod autem attinet ad profluuium illud quod ſine febre ægrum exercet, cum ſit plærumque ex ſatietate aut conſueta exercitatione intermiſſa; ſeruata tamen eadem victus ratione, tunc vno & altero die, imò pluribus aluum fluere pro valetudine eſt, ait Celſus. Sed ſi vltra ſeptimum diem purgat, & tormina aut febriculam excitet, computruiſſe & acriores factos eſſe eos humores qui naturam ad excretionem concitant credibile eſt, aut bilem à iecoris feruidiori intemperie genitam peritus artifex iudicabit. Ac proinde per venæ ſectionem contemperandam

intemperiem illam, nec non humorem per blandam catharſim vacuandum ipſa rei natura indicabit. Intemperies frigida & humor crudus ac pituitoſus ἡγεμονικὸν noſtrum præſidium reſpuunt.

---

## CAPVT XI.

### *De Cholera morbo.*

ALiter de cholera morbo ſtatuendum eſt pro vario humidæ & ſiccæ choleræ dioriſmo. Nam humida quæ, vt Gal. ait, ex humoribus acribus ab alimentorum corruptela genitis oritur, ſanguinis detractione carere non poteſt; imò eam omnino poſtulat ad coërcendum humoris illius efferi & indomiti ſurſum deorſumque citati impetum: præſertim ſi ex alijs partibus ad ventriculum humor confluat, quo in caſu διὰ πληθώραν ὅλου τοῦ σώματος ἡ γαστὴρ δέχεται ῥεύματα. Et tunc τὸ σύμπαν σῶμα κενωτέον ἐστὶν, inquit Galenus 7. meth. c. 10. Quòd ſi ob cacochymiam ἐκείνην ἐκκαθαίρειν προσήκει. At in ſicca cholera in qua nihil aluus deijcit, ſed adſtringitur & quæ ex ſpiritu flatulento acri ortum habet, minus locus eſt phlebotomiæ; quia non vacuatione humoris biliosi vt humida curatur, ſed ſolo

neoteriſmo & integritate partium aluinarum ſicciorum per debita humectantia reſtituenda, enemata pinguia, balnea calidiuſcula, ſomnum, quietem & vinum tenue & dilutum comparata ſanatur, biliſque acrimonia oleo amygdalino & lacte aſinæ mitigatur, Hippocr. 4. acut.

## Capvt XII.

### *De Hydrope.*

Hic pariter diſtinctione opus eſt. Nam cum hydropis tres ſint ſpecies vt vnus ſit Aſcites, tumor ſcil. quo abdomen velut vter aquoſo humore oppletur: Tympanias alter quo idem abdomen flatu diſtenditur: tertius Anaſarca ὑποσαρκίδιος quo vniuerſus corporis habitus pituitoſo humore perfunditur: eorum nullum phlebotomiam ferre poſſe vulgo Medicorum perſuaſum eſt, habita ratione cauſæ proximæ quam ſciunt eſſe ἀτονίαν iecoris per ſe vel per conſenſum partium vicinarum affecti, eamque inductam à frigida eiuſdem iecoris intemperie, vnde ſequitur ἡ ἀποτυχία τοῦ τῆς αἱματώσεως ἔργου in qua poſita eſt eſſentia huius mali. Sed quia poſtrema earum ſpecierum non agnoſcit primige-

niam illam iecoris intemperiem frigidam à qua calor natiuus hebetatur & prope extinguitur, ſed aſcititiam à ſuffocatione eiuſdem caloris innati, propter ſuppreſſionem inſignis vacuationis, vt retentionem vel hæmorrhoidum, vel muliebrium, vel aliam quamcumque plethoricam cauſam: ideo nulli dubitationi locus eſt quin mirum in modum huic malo conferat phlebotomia. Nam vt ignis inquit Gal. com. in 4. acut. extinguitur immiſſis lignis tum humidis, tum multis, niſi quis multitudinem ſuſtulerit; ſic in frigidiore ob copiam ſanguine vbi calor natiuus ferè ſuffocatur, præſentiſſimum eſt remedium ſanguinis miſſio. At aſcitem, confirmatum præſertim per venæ ſectionem nemo curare hactenus eſt auſus, ait idem author. De tympanite verò qui flatum multum continet, à quo diſtentus venter & percuſſus tympani inſtar ſonum edit, idem cenſet Galen. contra ſententiam Hippocratis, qui in huius hydropis curatione multam & bonam fortunam optat ταλαιπωρίαν πυρίαν, καὶ ἰσχεάντιαν, ſiccorumque atque acrium vſum præſcribit, & mox ſubiungit. Si difficulter ſpirauerit fuerítque anni tempus æſtiuum & floruerit ætas, viribúſque fuerit æger valentibus ſanguinem è brachio educes. Verùm hanc lib. de diæta acut.

partem quartam Hippocratis eſſe negat Gal. Deinde acrium vſum ſoli anaſarcæ conuenire aſſerit, non tympaniæ, non aſciti. Præterea phlebotomiam neutri competere aſſerit niſi plethoræ ſuperuenerit is hydrops. Sunt tamen qui Hippocratem faciunt huius ſententiæ authorem vt in hydrope quolibet venam tundendam colligāt ex praua Cornarij verſione, ſect. 5. epid. 2. Vbi diuinus Senex poſtquam de hydropici leipothymia & de remedio thorexi ſcil. egit. i. meri potu. mutat ſermonem & ait, magni morbi, id eſt, epilepſiæ inſultum venæ ſectione curari. τάμνειν τὰς εἴσω, inquit, τοῦ νοσήματος τοῦ μεγάλου ἐν τάσει γινομένου: quæ verba ad hydropem nullo modo referri poſſunt quicquid illic Cornarius delirarit; ſed ad epilepſiam quæ l. 1. c. 13. Hipp. tum hic tum in 6. epid. ſect. 6. aphor. 9. magnus morbus, Celſo maior dicitur, cuius inſultus vehementior non alià quam celeri phlebotomia curari poteſt.

## Capvt XIII.

### *De Arthritide & rheumatiſmo.*

Arthritis & rheumatiſmus olim ita diſtincta vt prior pro morbo, alter pro cauſa

morbi vſurparentur: nunc ita confunduntur, vt pro vno eodemque morbo accipiantur. Arthritis quidem à parte læſa; rheumatiſmus à cauſa ſumpto nomine; etiamſi prioris hodie ſuis in conſilijs medici vix meminerint, ſolúmque rheumatiſmum ægrorum auribus inſonent, quotieſcumque de humoris ſeroſi huc illuc refluentis orgaſmo agitur, ſiue ille muſculorum inania ſpatia, ſiue articulos affectet. Rem tamen penitiùs intuenti non parum inter ſe differunt arthritis & rheumatiſmus: arthritis enim morbus eſt teſte Hipp. dolore & calore corporis articulos infeſtans, & eius ſpecies ſunt iſchias, podagra, & cætera. Rheumatiſmus au- περὶ παθῶν.
tem eſt ſeroſi humoris incurſio concitatior & copioſior quàm parti alendæ ſit ex vſu, vt colligit Fernelius ex Galeno, qui quando pars con- 2. Therap. ad Glauc.
feſtim inflammatur, eum affectum ῥευματικὴν διάθεσιν vocari ſcribit. Eam verò quæ hunc affectum generat, cauſam ῥεῦμα eſſe ait, humoris ad carnoſas iuxta cutem partes protruſi, idque per venas tanquam per canales, natura ad eius excretionem acriùs inſurgente. Arthritidis autem cauſam alio loco eſſe ait, χυμοῦ πλεονεξίαν καταλαμβάνουσαν τὴν πάσχουσαν διάρθρωσιν; qua repleta vndequaque circumſitæ neruoſæ partes diſtenduntur, vnde dolor oritur, & hunc do-

lorem arthriticum eſſe nemo neget. At qui à rheumatiſmo oritur, nomen à parte quam occupat ſiue carnoſa ſit ſiue membranoſa, ſortitur; ſic Hipp. non eos qui in Æno eruo in cibum vtebantur, arthriticos vocat, ſed γουνάλγιας, vt obſeruat Galenus in aph.16.l.3. Differt etiam vterque affectus in eo quod arthritis à dolore incipit & in tumorem deſinit; contra rheumatiſmus à tumore incipit, & in dolorem tranſit. Præterea arthritis eſt periodica & per certa interualla recurrit nunc breuiora nunc longiora, pro vt partes principes humoris vitioſi ſarcina grauatæ in extimas partes & articulos onus ſuum deponunt. At rheumatiſmus ferè ſemel tantùm ingruit, vixque recurrit, quia longiore tempore quo graſſatur, quicquid eſt humoris radicitùs diſcutitur, & reſoluitur. Quòd ſi aliquando recurriſſe viſus eſt, factum id oportuit ex ſumma vitæ & victus intemperantia.

Vtriuſque affectus curationem auſpicatur Gal. à ſanguinis miſſione cuius tempeſtiuo vſu primùm arthriticos ſingulis annis laborantes & ſæpiùs, multis deinceps annis ab eo morbo immunes ſeruauit: deinde etiam rheumaticos etiamſi nullum plenitudinis ſignum eis adeſſet. Sed. Galeni authoritas ratione & experientia confirmata, ne quidem valebat apud pleroſque ſui

Com.in 46. aph.lib.6. Et therap. de ſang. miſſ. 2. Therap. ad Glauc. Et therap. de phleb.

ſui temporis medicos qui nullam totius corporis rationem habebant, neque humoris orgaſmum vena ſecta compeſcebāt, neque rheuma reuellere aut deriuare ſatagebant; ſed toti erant in parte affecta tum calefacienda, tum humectanda, in quo adhuc grauiùs peccabant, quia ea inde relaxata nouam fluxionem accerſebāt. Congruas vniuerſi corporis vacuationes primùm moliri oportebat: deinde pars inflammata perfundenda erat ἀποκρουστικοῖς & roborātibus. Quid ergo miramur ſi hac tempeſtate tot occurrant non dicam empirici ſed medici, qui nulla habita ratione cauſæ morbificæ, neglecta phlebotomia ſtatim ad anodyna & narcotica, à quibus tonus & robur partium frangitur, ſe accingunt & vulgo perſuadere conantur, tum demum exacerbari arthritidas & rheumatiſmos, in omnéſque corporis articulos humorem morbificum diffundi quoties è venis brachij aut pedis ſanguis detrahitur? ſic moueri camarinam, Nili cataractas reſolui & longiori diluuio locum dari? Quòd ſi illis obijciatur fruſtra mitigari ſymptoma, id eſt dolorem, cuius cauſa ſerum nempe bilioſum à ſanguine in venis æſtuante & corrupto ſecretum & agitatum membranas & tendines eo grauiùs vellicat, & pungit quo tardiùs vacuatur; Reſpon-

dent experientia compertum eſſe multos podagricos & rheumaticos ſecta vena grauiùs habuiſſe, dolores auctos, atque nouo rheumatiſmo per propagationem humoris morbifici ſtatim à vena aperta commoti obſeſſos. Quod equidem non nego aliquando factum non in iis qui primo quoque tempore morbi ad epaphæreſim confugerũt, ſed in iis tantùm qui diu concitati expectarunt donec extremos artus humor occuparit, ad quos iam conflictatos & imbecillos factos ſeriùs allato generoſo præſidio excitatus & incitatus affluit. At qui quamprimùm fluentibus & fluctuantibus humoribus validéque irruentibus par reuellens, id eſt, phlebotomiam largam & ſubinde repetitam admittunt, ij remedij iſtius beneficio certiſſimè leuantur.

## Capvt XIV.

### *De Prægnantibus.*

Hippocrates optimus medendi magiſter conſueto laconico oraculo definiſſe videbatur dubitationem illam an ſecanda in prægnantibus vena quotieſcumque eo remedio illæ indigere viderentur, præſertim cum

grandior eſſet fœtus aph. 31. lib. 5. Sed alias potiores obſeruationes adhibendas eſſe monet latinus Hippocrates Celſus, ad quas dirigi curantis conſilium debet. Intereſt enim, inquit, non quid intus geratur, ſed quæ vires ſint, quæ victus ratio, quæ regionis quam incolunt natura. Nam ideo prohibebat ſanguinis miſſionem in prægnantibus Hipp. quia res illi erat cum mulieribus ἀῤῥωστέοις, parcè viuentibus, & in cœlo calidiſſimo, ex quibus omnibus cauſis plurimùm de matris & fœtus natiuo calore reſoluebatur. Adde quòd fœtus miſſo ſanguine genio defraudabatur, non aliter quàm ſucci alibilis inopia plantas marceſcere videmus. Iiſdem de cauſis adhuc ſæpe abortiùnt plæræque mulieres in regionibus calidioribus, multóque magis cum fœtus eſt grandior, vt ſæpiſſimè contigiſſe memini apud Pictones noſtros circa ſextum & ſeptimum menſem, imò octauum & nonum, quo ſcilicet propiùs ad legitimum pariendi tempus accederent. At apud Septentrionales & in cœlo frigidiore ac denſiore, quale Lutetianum eſt, vbi minimum eſt quod reſoluitur, & multum quod ingeritur, ſuccreſcit copia alimenti, id eſt, ſanguinis ex cibis polytrophis & euchymis quibus aluntur matres; vnde oppreſſa natura fœtui ſuffocatio-

nis periculum ſæpe impendet, ſæpius præ pondere abortus ſequitur, ὑπὸ τοῦ βάρυς, aphor. 45.lib. 5.Hanc calamitatem ſola prohibere poteſt phlebotomia in cubito alterutro facta; Idque non tantum 4.menſe &ad ſeptimũ vſque, vt de purgatione cenſuitHipp.ſed octauo & nono, quòd apud Aquitanos noſtros non ſine manifeſto diſcrimine præſtare licet, vt ſupra notaui. Nec tamen etiam in hoc cœlo denſiore temerè nimis hoc remedium vſurpandum, niſi vbi aut magnitudo morbi aut euidens ſuffocationis metus id ſuadet, aut vbi plenitudo conuulſionem minatur, habita ſemper virium & ſufficientis ad fœtus alimoniam ſanguinis ratione. Tunc, quod Celſus ait, grauida mulier valens hoc remedio tutò curatur.

*FINIS.*

Digitized by Google

# ABSTINENS

## CONFOLENTANEA,

*CVI OBITER ANNEXA EST*

***PRO IOVBERTO APOLOGIA.***

Digitized by Google

# EX HISTORIA IAC. AVG. THVANI.

I*Acob. Aug. Thuanus. Lib.* 123. *hiſtoriarum ſui temporis ad annum* 1599. *profert rarum iſtud inediæ in Virgine Confluentana in Pictonibus exemplum, quæ in eo, inquit, ſtatu iam totum triennium fuerat, cum* Franciſcus Citeſius Pictauienſis medicus *eam inuiſit, & ſingula diligenter notauit libro ex ea occaſione edito*, &c.

ET PAVLÒ POST.

Q*Vomodo poſtea cum cibis in gratiam redierit alterum commentarium edidit* Citeſius *quo diſputationem quam prius habuerat cum* Harueto medico Aurelianenſi *repetit*, &c.

Digitized by Google

*ABSTINENTEM HANC vidit anno ſuperiore* 16c1. *alterum iam annum ſine alimento trahentem D. N. Rapinus non Irenarchico munere ſolùm, ſed varia etiam eruditione illuſtris, vt teſtatur hoc elegantiſſimum de ea carmen.*

De puella duodecenni, quæ iam biennium perſtat ſine cibo & potu viuere ad Confluentem Vigennæ an. ſal. M. VI. C. I.

*Quàm varia exercent hominum miracula mentes,*
*Quorum conſtitui non ratio vlla poteſt.*
*Ecce valens & adulta duos iam virgo per annos*
*Vitam agitat, nullo freta vel vſa cibo.*
*Obſeruata magiſtratu, & vicinia ab omni,*
*Qua fluit exiguo iuncta Vigenna Goro.*
*Iam ieiuna famem tolerat ſine fraude biennem,*
*Et iam præcluſis faucibus arcta gula eſt.*
*Mireris nullum ſuſpenſo à pectore ventrem:*
*Mireris nullas inde, vel inde vices.*
*Et nihil excernit, ſtricta vt nil excipit aluo,*
*Puraque ab vtrauis parte pudenda latent.*

Digitized by Google

*Illa tamen ſentit, loquitur, videt, ambulat, audit:*
*Quod nos intentis vidimus ipſi oculis.*
*Aut magico fallax in corpore ſpiritus errat:*
*Aut paſta exili lampade flamma ſubeſt:*
*Aut docet oſtento, natura potentior, iſto,*
*Maiorem humanis legibus eſſe Deum.*

N. RAPINVS. P.

ABSTINENS

Digitized by Google

# ABSTINENS
## CONFOLENTANEA,
### *CVI OBITER ANNEXA EST PRO IOVBERTO APOLOGIA.*

OPTABAT Euripides, vt aut muti perpetuum foueremus ſilentium, aut res ipſæ omni ambiguo ſermone remoto nobis colloquerentur. Præoptarem ego, vt aut de Aſtomorum gente ſine ore eſſemus, aut ſolo, vt illi, aëre contenti, cibo & potu in perpetuum carere poſſemus. Sic enim foret, vt animus noſter, qui ad rerum naturalium cauſſas, non aliter quàm noctuæ oculus ad Solis radios cæcutit, ſublata illa craſſorum è cibis vaporum caligine, nudas ideas & formas vnico obtutu complecteretur. Non eſſet Chryſippo tam anxiè mens elleboro purganda, vt argumentorum ſuorum vim acriùs peruideret: non eſſet ſæpe nobis anima contra naturam oneri: non eſſet

Aër ſiccior, anima prudentior Heracl.

illa pro ſale, ſed pro ſolo diuinæ noſtræ nauigationis pharo, qui è ſolo ad cœlum viam faceret. Sed quoniam vita noſtra nutritione conſtat, atque alterum altero continetur, dum aſſidua alimentorum cura vitam ſuſtinere meditamur, animos noſtros ad magna alioqui ſurgentes humi defigimus. Pluribus tamen inteſtinorum anfractibus hominem donatum Plato cenſet, quòd cum autor vniuerſi conſtituerit animal plenum rationis & conſilij, cuius vſu careret, ſi, vt plantæ radicibus, ita ore cibo ſemper adhæreret, aut, vt belluæ, paſtui vndiquaque conquirendo perpetuò eſſet addictus. Quinimmo dùm alimentum ventris mæandros & gyros pererrat, ſuam vim vegetantem & altricem naturæ mens ſublimior demandat, intereà ſuis freta facultatibus

In Tim.

*——Totos infuſa per artus*
*Ipſa agitat molē & magno ſe corpore miſcet:*

6. Æn.

pleniùs vires ſuas explicatura, ſi alimento confecto ad nouum ſuggerendum animus ipſe non eſſet conuertendus, & ventris imperio ſubijciendus. Nihil enim magis negotij homini exhibet atque aluus, inquit Plinius, cuius cauſſa maior pars mortalium viuit. Peſſimum corporum vas, inſtat vt creditor, & ſæpius die appellat: ideoque non ferendum eſſe iuuenem ſtatuit

Lib. 26. cap. 8.

Imperator, qui cum præſens eſſet, atque à tutore alitus eſſet, ſi alimenta per alium ſe conſecutum non probet, ſumptus recuſet, quaſi vento vixerit. Nam & ipſi Stoici, qui alioqui ſenſus omnes tollunt, hac ſaltem ventris expoſtulatione afficiuntur, comeduntque, ſed vt ne comedant, contra quàm nebulones, qui bibunt & edunt, vti bibant & edant, quorum Deus venter eſt, cui quidem luxuria omnis conditur, cui nauigatur ad Phaſin, profundique vada exquiruntur: qua parte demùm propiùs ad belluas natura pronas, atque ventri obedientes accedimus, quibuſcum nobis etiam communis eſt cibi & potus neceſſitas. Cod. Iuſtin. de alim. pup. præſt.

Etenim omnibus animantibus à natura inſitum viuendi inſtrumentum eſt calor natiuus, qui vt ignis noſter in ligno, ſic ille in triplici corporis ſubſtantia ſolida, humorali, & ſpirituoſa ſedem habet, quam aſſiduè depopulatur & abſumit, breui perituram, niſi nouo identidem eſculentorum & potulentorum appulſu reficeretur, non aliter atque ellychnij flamma, conſumpto oleo, ſtatim extinguitur, niſi nouo pabulo iniecto commodè refocilletur. Ideo medicinæ princeps Hippocrates pluri alimento puberum corpora indigere ſcripſit, quia plurimum huius caloris obtinent. Alioquin, inquit, Lib. 1. aph. 14.

conſumitur eorum corpus. Contra ſenum corpora, quia pauco calore prædita ſunt, paucis egent ſuccendiculis. Ex quibus veluti conſequens eſt, quod ibi præmiſſum à noſtro vate: ieiunium ſenes facillimè ferre, ſecundùm eos, qui conſtantem ætatem agunt, minus adoleſcentes, minimè omnium pueros; atque inter eos maximè, qui functionibus obeũdis alacriores ſunt. Nam & caloris paucitas, & humoris primigenij tenacitas, & corporis denſitas triplicis illius ſubſtantiæ effluuium in ſenibus prohibet, vnde minor cibi penuria, & ex eius ſenſu, appetentia, quæ fames eſt, in ijs eſt languidior: quemadmodum in iunioribus eò ardentior eſt, quo natiuus calor eſt vberior, humor vitalis fluxilior, & corporis habitus rarior: quæ tria, vt pabuli conſumptionem promouent, ſic & reparationem inſinuant. Quoniam enim per cutis poros vniuſcuiuſque animalis ſubſtantia in ambientem aëra diſſoluitur, inquit Gal, eas primùm partes, quæ cuti viciniores ſunt, exinaniri neceſſe eſt, quarum ingenita vis ex alijs ſibi proximis alimentum, vt quod vacuatione deperijt, reſarciat, prolicit: illæ è venis, tanquam horreo: hæ ex iecore, veluti area: iecur ex inteſtinis & ventriculo, veluti agris, per venas meſaraicas, veluti per manus, quod ſibi familiare

Aph. 13.

Primo de ſymp. cauſ. cap. 7.

eſt, naturæque ſuæ conueniens arceſſit. Ventriculus exhauſtus ſibi inſito penuriæ ſenſu ad appetendum cibum, quo ſeſe reficiat, incitatur.

At verò ſi quod corpus eſt, cui calor exiguus ſit, cui primigenius humor tenacior, cui ſpiracula cutis conniueant, triplicis illius ſubſtantiæ minima fit vacuatio, ideóque refectioni locus parciſſimus. Quin ne vllus quidem teſte noſtro Gal. vbi præterea ambiens nos aër frigidus eſt, vbi corpus ſegne & torpidum ſine motu degit, quia cutis foraminula obſtruuntur, ab ijſque nihil aut minimum effluit. Quod manifeſtum facit exemplo ferarum ſua luſtra per totam hyemem nunquam deſerentium (φωλεύοντα ζῶα vocat) qualia ſunt vrſi, glires, ſerpentes, lacerti, & plæraque alia, quæ appetente vere, laxatis corporis præ calore meatibus, cum reſolui & deficere ſe ſe percipiunt, è ſuis latebris in auras ſuopte impetu feruntur, & ad cibos vndiquaque conquirendos à natura impelluntur. Vnde colligit aſſiduam per habitum difflationem defectum creare, hunc ciborum indigentiam, quæ appetentiam. Natura enim comparatum eſt, vt quod inanitum eſt ſui repletionē poſtulet. Quòd ſi cauſſa ceſſet, ob quam corpora cibis indigebant, effluuium puta, neceſſu momnino eſt, vt & indigentia ipſa, & eius ſenſus, qui

De venæ ſect. aduerſus Eraſ.

fames eſt, vnà ceſſet, atque ea-propter animalia latebras incolentia ſine cibis degere poſſint. Sic lucernas ardentes grauiſſimorum virorum fide conſtat in veterum ſepulchrorum cippis reperiri, quas ipſa inſcriptio ante innumeros annos ibi conditas teſtatur: vt quam celebrat Ludouicus Viues ante 1500. annos, quam Hermolaus Barbarus in agro Patauino repertam memorat, ſine die quidem & Conſule, ſed vt ex elogio colligit P. Appianus ante an. 800. Eæ tamen exiguo fomite quamdiutiſſimè ſuſtinentur, quia humoris, qui olei vicem præbet, tenaciſſimus eſt, & benè vndique ſibi conſtans, ſiue is ſit humidum illud (*quod Chymici radicale vocant) ex auro, cui vni rerum nihil deperire creditur, tractum; ſiue quid ei proximum vt denotare videtur elogium in vrna fictili exaratum, quod ex-ſcripſit Barbarus in hæc verba.

In lib. 11. cap. 6. D. Aug. de ciuit. Dei.

In lib. 5. Dio. cap 11.

*Plutoni ſacrum munus ne attingite fures,*
*Ignotum eſt vobis, hoc quod in orbe latet.*
*Namque elemēta graui clauſit digeſta labore,*
*Vaſe ſub hoc modico maximus Olybius.*
*Adſit fœcundo cuſtos ſibi copia cornu,*
*Ne pretium tanti depereat laticis.*

Et ſequens alteri vrnulæ intra ſuperiorem conditæ inſcriptum.

ABITE. HINC. PESSVMI. FVRES.
VOS. QVID. VOLTIS. CVM. VOSTRIS.
*oculis. emiſsitiis.*
ABITE. HINC. VOSTRO. CVM. MERCVRIO.
*Petaſato. Caduceatoque.*
MAXIMVS. MAXIMVM. DONVM.
*Plotoni. hoc ſacrum. facit.*

In qua quidem vrnula ardens adhuc illa lucerna obſeruata eſt, inter duas ampullas ſita, alteram ex auro, alteram ex argento, puriſſimo illo liquore plenas, cuius incendio lucerna illa per tot annos arſiſſe credita eſt. Idem Barbarus cœleſtem aquam vocat, ſiue potius diuinam Chymiſtarum, quam à Democrito & Mercurio Triſmegiſto modo θεῖον ὕδωρ, modò Scythicum laticem, modò pneuma appellatam notat, hoc eſt ſpiritum ex ætheris natura & eſſentia rerum quinta, vnde aurum poculentum & iactatus ille, necdum inuentus, inquit, Philoſophorum lapis & ſabulum conſtet. Ad hunc fomitem neſcio an referre debeam perpetuam lucernæ cuiuſdam flammam, cuius meminit Cedrenus, Hiſt. compen. quam quidem imperante Iuſtiniano, Edeſſæ cum Chriſti imagine repertam refert. Ea ſtatim à Chriſto paſſo ſupra portam quandam fuerat abdita, & 500. tamen annorũ decurſu non erat extincta: immo ex ea oleum in ignem proxi-

mum iniectum, Choſrois Perſarum regis copias, Chriſtiano nomini infenſas ad vnam omnes conſumpſit. Quicquid ſit, allatis ſupra rationibus adducor, vt minùs mouear exemplo, quod in ora noſtra Pictonica, à tribus ferè annis, eſt in omnium oculis, puellæ Confolentaneæ, quæ ab eo tempore vitam etiamnum ſine alimento trahere pergit.

Puella eſt nata quatuordecim annos aut circiter, Ioanna Balam nomine, patre Ioanne Balam fabro ferrario, matre Laurentia Chambella, ſtatura pro ætate iuſta, moribus ſubruſticis, Confolento vrbe in Lemouicum & Pictonum confinio ad Vigennam oriunda, quæ cum vndecimo ſuæ ætatis anno febre continua, circa 13. cal. Mart. anni 1599. eſſet correpta, tùm grauiſſimis alijs ſymptomatis, tùm aſſiduo imprimis vomitu per 20. dies conflictata eſt. Febre quoquo modo remittente, obmutuit. & totos 24. dies ſine voce deinceps hæſit. Reddita poſtea voce, quamquam delirij plena, omnium infra caput partium motus & ſenſus torpere & habeſcere cœpit, adeo vt ipſe quoque œſophagus (cibi potuſque in ventriculum via) reſolutus, vim ſuam cathelcticam amiſerit, neque hactenus perſuaderi puella potuerit, vt cibum ſumere velit, ne quidem pellecta familiaribus huic

ætati

ætati condimentorum & fructuum fugacium illecebris. Reſtitutus tamen & confirmatus eſt artuum motus poſt ſex ferè menſes, præterquàm altera conxendice, à qua adhuc ſubdifficilis eſt inceſſus. Sola degluticndi impotentia remanſit, vnde & ſummum omnium eſculentorum & potulentorum odium puella concepit. Interim ei, res mira, vniuerſum abdomen ſenſim emacreſcere & tabeſcere adeò viſum eſt, vt ab imis coſtis ad pubem vſque nihil priſtini aqualiculi ſuperfuerit. Sola ibi nunc à ſterno pendula mucronata cartilago, non aliter quàm ſuggrunda, quæ extra perpendiculum ſtillicidia eijcit, ſupra antiquam ventris regionem extat, à qua & notharum coſtarum appendicibus ſuperna cutis non mediocrem tenſionis & diuulſionis ſenſum patitur, ex ipſo etiam puellæ conqueſtu. Inde omnes muſculos, inteſtina, viſcera, & reliquas ventris partes atrophia conſumptas & contractas patet, vt detractas putes. Saltem ſolæ illarum fibræ & ſtamina reſtant, carnoſa omnis, quæ ſpatia earum infarcit, ſubſtantia perijt. Cæteræ corporis partes multò minus exhauſtæ apparent. Nam & pectus amplum, & vbera turgidula, brachia & crura modicè toroſa, facies rotundula, ſed fuſca, labia rubella, lingua quidem contractior,



Digitized by Google

expeditus tamen ſermo, caput pilis longiſſimis contectum. Creſcunt enim illi & pili & vngues, immo totum ipſum corpus. Nulla ſui parte excrementa procedunt, non aluo fæces, non veſica lotium, non vtero menſtruum. Non eſt ſua ſorde caput obſitum, quod vt in externa cute, ſic in ipſis ſenſuum organis ſuam integritatem teſtatur, neque ( præter tenuem ſputationem & nonnullas lacrymas) vllum aut auribus cerumen, aut naribus mucus, aut habitu ſudor erumpit. Quinimo vniuerſa ferè corporis cutis frigida & ſicca tangentibus apparet, vixque vllo motu incaleſcit ( ſi alas & cordi vicinas partes exceperis ) etiamſi in rem familiarem operam omnem conferat, obſonium è foro petat, pauimenti ſordes efferrat, colum teneat, fuſum rotet, ſtamina pollice ducat, atque in alijs huiuſmodi miniſterijs tota ſit, nec vllæ ſenſus aut motus partes deſint.

Ex quibus exempli raritas multis modis dilucet. Nam ea ætate caſus hic accidit, qua creſcebat corpus. At quæ creſcunt, plurimo egent alimento: præterea iſto habitu gracili & frigido, Lib. 1. Aph. 15. vbi interiora calidiora eſſe ſolent. Hinc ventres hyeme calidiores pronunciauit noſter Senex, vnde concoctio expeditior & fames intolerabilior: per exercitia præſertim, quorum nullis ſuæ

ætati & ſexui conuenientibus parcit; cœlo inſuper & ſolo multùm voraci. Quæ omnes appetendi occaſiones febris illius continuæ ſuperuentu deiectæ ſunt, & naturales omnes functiones tandem etiam paralyſeos acceſſu ſopitæ atque interceptæ.

Atque vt à prima & præcipua exordiar, ventriculus ipſe qui alioqui cibi promptuarium eſt & primæ coctionis officina, crudorum humorum illuuie diſſolutus elanguit adeò, vt neque ſuos cibos retinere, neque alios admittere potuerit,

*Vncta cadunt laxis nam pulmentaria labris.* Perſ.

Sic apud Hippocr. Hermocrates ardentiſſima 3. Epid.
febre correptus cibum ſemper omnem reſpuebat, ob ipſius facultatis extinctionem, inquit ibi Gal. cuius erant in ſecunda valetudine munera indigentiam ſentire, & quæ ſunt ſibi familiaria appetere. Comm. 1.
Huius ſymptomatis cauſam plærique reijcere malunt in pomi, ab anu quadam duos aut tres ante menſes porrecti, vim maleficam, quòd, eo deuorato, nauſeas aliquot & animi faſtidia paſſa ſit. Sed cum præter ea nihil ſuperuenerit, quòd eius ſanitatem & functiones naturales apertè læſerit, donec deſcripta febre correpta eſt, non video quomodo vis illa tandiu ſopita fuiſſe credatur. Vomitu ſedato,

obmutuit, propter reſolutionem neruorum recurrentium (quam & totius poſtea corporis reſolutio excepit) frigidiore & cruda pituita calore febrili, eóque etiam delirium in cerebro excitante, liquata, & in hos neruos tranſlata: vnde ſuctionis ſenſum immo ipſam deglutitionis vim amitti oportuit; quæ vnica eſt appetentiæ animalis abolitæ cauſſa. Quam nec longè ſubſecuta eſt, ipſius naturalis appetentiæ priuatiò, quam notat Hipp. his verbis γεύεσθαι δὲ οὐκ ἠδύνατο ſi quid grauiſſimo eius interpreti Gal. credendum eſt, qui ſymptomatis huius cauſſam reijcit in vitium hepatis, quod cum vegetantis & naturalis animæ principium ſit, eo læſo & auxiliarias eius facultates, attractricem, inquam, retentricem, aſſimilatricem & expultricem, in quibus nutritionis vis tota verſatur, concidere neceſſe eſt; & ideò ipſum appetitum, qui non niſi attractione perficitur. Iecoris autem affectum in
2. Epid. ſect. 3. Hermocrate colligit ex eo Gal. quòd cùm die morbi ſexto auriginoſus apparuiſſet, nec tamen ei, vt Heraclidæ (cui idem eodem die ſymptoma ſuperuenerat) per totum morbi decurſum, qui fuit dierum 27. icterus aut ſudore, aut bilis excretione, ſeu per aluum, ſeu per vrinas, aut vomitum ſublatus fuiſſet; naturalem facultatem, cuius hepar eſt fons, mirum in modum

concidiſſe facilè appareret. Qua affecta omnis appetitus vis adeò proſternitur, inquit Galen. vt mori, quàm quicquam vel ſummis labris attingere præoptent ægri. 5. de locis aff. cap. 1.

In noſtra puella nec arte curata, nec natura leuata iecur vitioſorum humorum ſarcina adeò obſeſſum eſt, vt naturali eius calore admodùm fracto, cum omnibus imi ventris partibus exaruerit & contabuerit: vt minimè mirum cuiquam videri debeat, ſi naturalis œconomiæ munia compareant abolita. Huius igitur apoſitiæ, & quæ ex hac ſecuta eſt, ἀσιτίας, altera cauſa eſt iſta hepatis, omniumque nutritioni inſeruientium partium tabes, vnde attractione abolita periit ſuctus, à quo & fames. Cuius ſententiæ Gal. adſtipulatorem habeo, qui propter hepatis imbecillitatem non nutriri corpus aſſerit, nihilominus diu ſubſiſtere poſſe contendit, quandiu ſcilicet cor manſerit illæſum. Perijt tamen Hermocr. intra 27. quia humorum corruptela cordis ſubſtãtiam altiùs peruaſerat, quam & caloris febrilis infenſa qualitas depulſo natiuo exhauſerat. Puella noſtra ſeruata eſt, quia calore febrili extincto, natiuus relictus imbecillus cohibitus eſt intra corpus adſtrictum, cui ſtrigoſa cutis frigida & ſicca obtenſa eſt. Hinc cum minimùm reſoluatur, minimùm etiam 5 de loc aff. cap. 1.

foueri neceſſe eſt, quæ tertia eſt huius inappetentiæ cauſa.

Nam quicquid id eſt, quod exhalat, vt ſpiritus & calor innatus, reparatur & fouetur aëre primùm tam inſpiratione ducto, & per pulmonis tubulos in cor admiſſo, quàm quantulacumque illa tranſpiratione (quam fermè totam ſuppreſſam ex habitu iudico) in vniuerſum corpus per arterias recepto: dein humore crudo & pituitoſo recreatur natura illa fatiſcens, qui quidem in corpore hoc puellari non poteſt non per ætatis & ſexus conditionem vberiùs iampridem ſuccreuiſſe, & etiamnum parùm abſumptus abundare, vt ex paralyſi non ſatis confirmata dilucidò liquet. Hic autem temporis progreſſu coquitur, fitque idoneum corpori alendo nutrimentum. Nec deſunt plæraque alia quæ ſuos habent in corpore noſtro penus, inde depromenda, cùm inediæ natura impatiens alimentorum vicem ea ſupplere iubebit, vt adeps, medulla, pituita: quæ ſingulæ corporis partes exhauſtæ, è ſuis ſedibus, tanquam è feraci promo & condo, attrahunt, & velut alterum rorem in vniuerſam ſuam ſubſtantiam fuſa concipiunt. Sic aiunt cochleas cum ſitiunt aëris, atque nihil illis de cælo illiquitur, proprio ſucco victitare, vnde Plautus

2. fac. na. com. 2. de ra. vic. acut.

Symmachus lib. 1. Epiſt 33.

*Quaſi, cum caletur, cochleæ in occulto latent,*
*Suo ſibi ſucco viuunt, ros ſi non cadit.* Captiuis

Sic terreſtres cochleæ aduerſus hybemi frigoris iniuriam albo quodam operculo, duro, gypſi Ariſt. hiſt. an. l. 8. c. 15. ſpeciem referente, ſuæ teſtæ obtenſo munitæ, Plin. hi. na. c. 39 Lib. 8. ſolo interno redundantis humoris fomite ſuſtinentur, per integrum ſemeſtre, ſub terra, circa fruticum radices conditæ: vt & omnia fermè animalia hyemis aſperitatem varijs latibulis lenire ſolita, qualia angues, ranæ, muſcæ, erucæ, glires, mures montani, turtures, hirundines, &c.

Nam ſerpentes omnes frigoris impatientes hyeme abditi in terra latent, autore Ariſtotele, Hiſt. an. l. 8. c. 15. à quo tametſi ſerpentium hiſtoriam hauſerit Plinius, eius tamen mentem perperam detorſit in contrarium ſenſum, cum ſerpentium viperam ſolam terra condi dixit: cæteros arborum Hiſt. na. lib. 2. cap. 39. aut ſaxorum cauis. Contra namque viperam ferme ſolam per ipſam hyemem ſaxis, cæteros terra condi verè ſcripſit Ariſt. quo tempore illis pro cibo ſomnus eſt.

Quin & annua fame durant viperæ, hyemis etiam algore dempto, inquit Plin. quod nos Lib. cit. ſcimus, qui hic eas frequentes habemus, & phialis vitreis ſine cibo incluſas annum integrum & ampliùs aſſeruamus. Non poſſumus Lib. 10. cap. 62. interea hic vnum & alterum Plinij lapſum

ſuper earum coitu diſſimulare, qui viperæ marem ſcribat caput inſerere in os, quod illa abrodat voluptatis dulcedine. Nam qui eas ſæpe in coitu deprehendunt noſtri venatores, cum vix etiam vehementiori conatu à ſe inuicē diſiungere poſſent, nobíſque rem aperuiſſent, obſeruauimus ijs recens inde diuulſis exertum mari bifidum & longius pudendum, cum protuberãtibus & aliquot aculeis aſperis glãdibus, quas venere turgentes fœminæ vulua duplex tam arctè cõplectebatur. Ei erant ſubſtricti ſui teſtes, contra ſummi naturæ genij ſententiam, qui neque ſerpentes, neque animaliũ vllum pedibus carentiũ teſtes habere ſcribit: Addit tamen alibi [ niſi intra ſe formare animal poſſit] qua clauſula excipi videtur vipera, quam ſolam dixerat intra vterum catulos excludere, quamquam niſi ea eſſet mens Ariſt. excludere non dicerem (neque enim ex ouo, quod nullum eſt) ſed formare. Fœtus enim eſt ſua membrana, vt in cæteris viuiparis, incluſus. Neque verò etiam, vt idem autor putat, ſingulos catulos diebus ſingulis parit vipera, viginti ſcil. numero: ſed vno eodemque die catulos plærumque vndecim, interdum plures, interdum pauciores parit.

4. De p. an. c. 13. 3. hiſt. c. 1. 5. hiſt. c. vlt.

Lib. 10. c. 62. hiſt natura.

Neque tandem cæteræ tarditatis impatientes

perrumpunt

perrumpunt latera, occiſa parente, quam ſaluam intra phialas illas enatis viperillis ſæpe notauimus. Sed deceptus eſt Plinius his Ariſtotelis verbis τίκτει δὲ μικρὰ ἐχίδια ἐν ὑμέσιν, οἳ περιρρήγνυνται τριταῖοι. ἐνίοτε δὲ καὶ ἔσωθεν διαφαγόντα αὐτὰ ἐξέρχεται. Id eſt. Parit paruas viperulas membranis obuolutas, quæ tertia die rumpuntur. Euenit interdum, vt qui in vtero ſunt, abroſis membranis prorumpant. Αὐτὰ retulit ad ἔσωθεν (vt interiora matris eroſa audiret) cum ad ἐχίδια, debuiſſet, διαφαγόντα τοὺς ὑμένας. i. viperulas ſuas erodentes membranas. Hiſt. an. lib. 5. cap. vlt.

Ranæ, quas ſemeſtri vita in limum reſolui nullo cernẽte putat Plin. rurſuſque vernis aquis renaſci, frigore quidem ſoluuntur, non reſoluuntur: ſed cauernis littorum latent, non abſtinentes modò, ſed & ſemianimes, quæ aliàs in paludibus maritimis, glaciem nunquam contrahentibus, quocumque anni tempore conſpiciuntur: immo in ipſis in quibus latuerunt lacunis, vere non tantùm earum fœtus, ſed veteres etiam ranæ viſuntur. Lib. 9. cap. 51.

Muſcæ hyemali frigore torpidæ in tabularum rimis deliteſcunt, quas aut artificialis ignis, aut ipſius tempeſtatis tepor iampridem veluti ſepultas reuocat. Interea dum torpent, ſibi ipſæ ſufficiunt, non tam corporis exiguitate, vt con-

K

Digitized by Google

De part. an. lib. 4. cap. 5. tendit Ariſtotel. quàm frigiditate. Quod enim calidum eſt, cibum & appetit & concoquit citò: contra quod frigidum eſt, cibo carere facilè patitur.

Ariſt. lib. 8. cap. 14. Ex muſcarum genere Apes hoc etiam tempore ceſſant, & in ſuis alueolis abſtinentes latent: argumento eſt, quòd ſibi appoſitos cibos non attingant, & quæ eruperint, ieiunæ ſpectetur ventre lucido. A brumâ ad Arcturi exortum diebus ſexaginta ſomno aluntur ſine vllo cibo, Plin. Lib. 11. cap. 16.

Omnium maximè Cicadarum genus eſt ieiunum, ſatis enim ijs alimento eſt humor, qui in corpore ſupereſt. Ari. lib. 4. cap. 5. de part. an.

Ar. hiſt. lib. 5. cap. 19. Erucis ſeneſcentibus externa cutis callum quemdam contrahit, cuius quia calor eſt aureus, Chryſalides & Aureliæ nominari ſolent. In hanc formam cum tranſierunt, nihil excipiunt, nihil excernunt.

Inter eas Bombyx, inſigne naturæ miraculum, mediâ etiam æſtate, ſuo concluſus cortice ſericeo quadraginta minimùm dies non tantùm ſine cibo durat: ſed & ſuæ ſubſtantiæ plurimum in lanificium ſuum impendit.

Ar. lib. 8. cap. 17 Plin. lib. 8. cap. 57. Conditi cubant Glires & non niſi ſomno aluntur. Eorum ſenium finitur hyberna quiete.

Arc. lib. 8. cap. 17. Mures montani, ſicut & glires, hyeme deli-

Digitized by Google

teſcunt, integriſque menſibus. tam altè dormiunt, vt effoſſi & extracti non excitentur, antequam in ſole expoſiti vel ad ignem locati concaluerint: fœnum, paleas, ſtramenta in cauernas comportant, ſed ijs à frigore tantùm ſe tuentur.

Teſtudo terreſtris totam hyemem in terra latet, atque graui ſomno preſſa ſine vllo cibo traducit. Cibo omni deſtitutam diu viuere quouis tempore teſtatur Rondel. atque etiam abſciſſo capite, propter frigidi ſucci conſtantiam. Lib. de amphib.

Chlorion ſeu galgulus auis tota hyeme deliteſcit, circa æſtiuum tantùm ſolſtitium procedit. Ari. lib. 9. cap. 22. Pl. lib. 10. cap. 29. Ari. lib. 8. cap. 16. Pl. lib. 10. cap. 24.

Hirundines tam domeſticæ, quàm agreſtes à proximæ hyemis aſperitate ſibi metuentes, in finitimos montium receſſus ſeſe recipiunt, vbi nudæ & implumes inueniuntur: qua ferè facie verno adhuc tempore ſolent conſpici. Quæ autem ripariæ dicuntur, in ripas fluminũ, lacuum, paludum, & in maris littora ac ſcopulos ſeſe conferunt, vbi plures mutuo complexu adhærentes deprehenduntur: vnde accidit, inquit Agricola, vt piſcatores interdum ita inter ſe iunctas ex aquis extrahant: vt deſinant noſtri philologi nouas ijs colonias in Africam & alia tranſmarina loca comminiſci. Abeunt 12. Sept. Redeunt 26. Apr. De ſubter. anim.

Turtures latere incipiunt præpingues, & Ari. lib. 8. cap. 16 hiſt.

quamquam pennas in latebra dimittunt, tamen pinguedinem ſeruant.

Fortè & ex alijs plæriſque auibus, quæ peregrinæ creduntur, diligentior quiuis rerum naturalium ſcrutator non paucas adhuc incolas, quanquam hyeme abditas, deprehendet, vt miluos, ſturnos, palumbas, merulas, turdos, veſpertiliones, noctuas, bubones, vpupas, &c. quas ſuus intus adeps fouet & ſuſtinet, corporis interim effluuio ſuppreſſo. Adipem enim per inedias calori natiuo alimentum ſuggerere autor Gal. 4. de vſu part. medullam 11. pituitam com. 2. de rat. vict. acut. Vnde queas tibi ſcrupulum ex Hipp. lectione iniectum eximere, qui homines vix vltra ſeptimū diem ſine cibo tranſigere contendit, quem licet ſuperauerint, nihilominus emori; quia etiamſi verum eſt, & in noſtra puella clarum, quod ait ille, ieiunum inteſtinum per id temporis adeo coartari, vt nihil omnino deinceps poſſit admittere: tamen ex hac adſtrictione & obſtructione tam ſubitam mortem arceſſere non eſt omni ex parte neceſſe. Quinimmo Scythas ferunt, ſi quibus de cauſſis inedia longiùs toleranda ſit ventrem latioribus faſcijs cohibere, quo fames illos pauco aut nullo relicto inani ſpatio minus attingat. Ipſam quinetiam Spirenſem puellam, quæ triennalis

Lib. de carn.

inediæ famâ percrebuit, humore ſuperuacuo conſumpto, ad ciborum vſum, quaſi poſtliminio, rediiſſe tradunt ſcriptores, à liquidioribus, vt credibile eſt, initio facto; ſi quidem vera ſunt, quæ ab illis ſcriptis mandata ſunt, ac non potius nimis credulam eorum fidem mater, vt audio, fefellit: quam etiam mihi ſuſpectam facit mucus, quem ipſam abundè per nares emungere ſolitam ſcribunt, ſuæ in auribus ſordes, ſuæ oculis largiores lacrymæ, quæ aliquo cibo, quamquam fortè non ſolido, vires eius collabentes ſæpe fultas ſatis euincunt, à quo excrementa hæc vi naturæ ſecreta in ſua organa ſint amandata.

NEc tamen hæc infirmant paradoxum à L. Iouberto in prima decade ſecundo loco poſitum, vbi inter clara diutinæ abſtinentiæ exempla, illuſtrem Spirenſis huius puellæ hiſtoriam veluti pro hypotheſi ponit & exponit. Nam præter innumeras alias eiuſdem argumenti obſeruationes, quas citat plurium grauiſſimorum teſtium fide comprobatas, celebres habemus tum antiquorum, tum recentiorum ſeculorum experimētis notiſſimas. Herum Pamphilium, autor eſt diuinus Plato, decem integros dies inter exanima cæſorum corpora 10. Polit.

iacuiſſe, biduóque poſtquam inde ſublatus eſſet, cum rogo imponeretur, viuere compertum. Neque verò ſeptimo vtique die homini letalem
Lib. 11. cap. 54. eſſe inediam profitetur Plinius. Nam duraſſe plæroſque & vltra vndecimum certum eſt inquit. Grauiſſimum abſtinentiæ præceptorem Pythagoram teſtatur ex Dicearcho Diog. Laërt. ἀσιτον quadraginta totos dies duraſſe: cuius etiam
Lib. 7. cap. 18. ex doctrina Apollonius Tyaneus aſſuetudine longa diutinam ferre inediam didicit. Scire ſe aſſerit Plin. victam voluntate ſitim: equitemque Romanum Iulium Viatorem è Vocontiorum gente fœderata, in pupillaribus annis aquæ ſubter cutem fuſæ morbo prohibitum humore à medicis, naturam feciſſe conſuetudine, atque in ſenecta caruiſſe potu. Idem & in illuſtriſſimo Marchione Piſanio, viro ea prudentia conſpicuo, qua grauiſſimis in negotiis Rex ipſe feliciſſimè ſæpius vſus eſt, nuper omnis mirata eſt Gallia. De frequenti & integra P. Alcantaræ monachi Hiſp. abſtinentia, eaque in octo & ampliùs dies per ſingulos menſes ſponte porrecta, mira referunt recens editi quamplurimi piarum pręceptionum libri. Celeberrima omnium eſt hiſtoria Catharinæ cuiuſdam in Colberbergenſi ſolo ſine vllo cibo & potu integrum ſeptennium traduxiſſe comperta. Ea iuſſu Illuſt.

Digitized by Google

Ioan. Caſimir comitis Palatini, ab Henrico Smetio (nunc profeſſore Heildebergenſi) & Ioan. Iac. Theod. medicis 24. Nou. 1584. diligenter obſeruata, adhibitis etiam poſteà quatuor matronis, quæ ab eius latere ne quidem noctu diſcederent, facilè ita ſe habere rem vnicuique perſuaſit. Poſt triennium hiſtoria hæc Gallicè tralata eſt, Francofurti apud Ioan. Vechelum excuſa, anno 1587. & in appendice monitus lector, puellam adhuc in hac abſtinentia perſeuerare ſine cibo, potu, ſomno, excrementis.

Rationibus nititur inſuper Ioub. adeò neceſſarijs, vt nemini vnquam rem obſcuram fore hactenus crediderim, poſtquam præſertim amica doctiſſimi Valleriolæ interpellatione tantus vir ab hac fide dimoueri non potuit. Argumentum tamen hoc tractanti, dum librariam officinam aliud agens perluſtro, occurrit libellus in ipſo limine præferens Fieri non poſſe vt quis ſine cibo plures dies & annos tranſigat. Eum illico, quia à docto medico & populari noſtro I. Harueto conſcriptus eſt, deuoro & auidiùs per-lego. Poſtquam verò incidi in eum locum, vbi negligentiæ arguit tot illuſtrium exemplorum autores, quos ieiunium tandiu creditum ſpecie aliqua fallere potuiſſe ait, ſatisfaciendum pag. 74.

ei hac in parte exiſtimaui, & priuato Conſolentaneæ noſtræ puellæ nomine ſpondendum, etiamſi per tot menſes & annos ſingulos eius motus obſeruare mihi non licuerit, videri tamen nihilominus verum quod de ea circunfertur, & quod hac ſcheda propono ferè triennale ieiunium, nec aliter ijs perſuaſum fore, qui nudam eam vt nos, conſpexerint, niſi mutata ab illa quam Iulio ſuperiore vidi. Nunc enim aliquantò carnoſior narratur: neque tamen vllius alimenti acceſſu, quod potuerit deprehendi. Adde quod & nobiliſſimorum virorum, qui eam in domibus ſuis, alius per trium, alius per quatuor hebdomadarum ſpatium inter vxores & filias ſuas aſſeruarunt, fide ſatis id vnicuique conſtare debet. Si quis proprijs oculis fidere malit non repugno, ne quidem ipſa puella. Vtinam idem licuiſſet Iouberto, qui ſi tot rationum momentis oculorum fidem addidiſſet, nunc fortaſſe I. Haruetum aduerſarium non haberet. At cum hic iam pugnet contra ſenſus,

Luc. 1. *Qui niſi ſint veri, ratio quoque falſa ſit omnis:*

Iouberti demonſtrationes adſtruere difficile fortaſsè non erit. Firmiſſimis enim fultæ ſunt illæ principijs ex ipſis ſummi naturæ Dictatoris

Lib. de vita & mor. & reſp. oraculis depromptæ. Profitetur Ariſtot. omnium animantium genus calorem quendam naturalem

Digitized by Google

naturalem inſitum habere, qui cum anima ipſa adeò arcto vinculo connexa eſt, vt ibi vnum inſit, alterum etiam ineſſe neceſſe ſit: Animalia dum viuunt calere, eadem morientia, & cum vita functa ſunt, refrigeſcere. Ineſt, inquit alibi, in ſemine omnium, quod facit vt fœcunda ſint, videlicet quod calor vocatur. Et infra. Gignuntur in terra & in aquis animantia & plantæ, quia in terra ineſt humor, in humore ſpiritus: In vniuerſo autem calor animalis, vt quodammodo omnia anima plena ſint. Itaque calore omnia confici, omnes functiones perfici autor eſt: quem & noſter Gal. aut facultatum eſſe ſubſtantiam, aut ſaltem primum & maximè neceſſarium ipſarum inſtrumentum paſſim docet. Non eſt igitur quòd abſurdum putet Haruetus à Iouberto poſt Philoſophum dictum vitam vno calore contineri. Cum enim vita ſit permanſio & mora animæ cum calido ex Ariſt. nobis in hac rerum caligine poſitis illuſtrius præſentis vitæ indicium capere non licet, quàm ex eius functionibus, quarum omnium calor, velut primarium & immediatum animę inſtrumentum autor & effector eſt. Nec ineptè Ioubertus contrariorum contraria conſequentia eſſe ratus, vitam calore finiuit, poſtquam eiuſdem caloris extinctione mortem Ariſtot. defi-

Lib. 2. de gen. an. cap. 3.

Lib. 3. de gen. an. cap. 11.

Lib. 2. ad Glauc. lib. 4. de vſu part.

Pag. 14.

Lib. de reſp.

Pag. 13.



Digitized by Google

2 de ſan. tu. gnarat. Nam & noſter Gal. qui mortem tunc homini contingere putat, cum calor ſæpe agendo refractus, præ idonei pabuli penuria, fatiſcit, & qualitatum elementarium nobis innata temperies ſoluta in vnius imperium tranſijt; tacitè indicat vitæ curriculum tandiu retineri, quandiu calor natiuus humido primigenio abundè perfundetur, & qualitates elementares in ſuo æquabili concentu & harmonia, quam temperiem vocant, conuenient. Neque propterea pag. 14. duabus iſtis cauſis calore & temperie finienda erat vita, quandoquidem à proxima ſemper ducenda finitio eſt. At calor proximum eſt animæ inſtrumentum: temperies caloris ipſius innati, qui eam ad varias actiones accommodat. Ergo cauſalis hæc definitio à prima & potiſſima vitæ cauſſa ritè petita eſt. Eſſentialem ex Ariſt. ſupra adduximus.

Aliter tamen Haruetus, qui hominis vitam paſ. 16. definit actionem animæ rationalis in humano corpore productam, non ſatis cautè. Primùm enim vita non eſt actio animæ, alioqui anima viueret, non corpus: ſed eſt manſio, vt dictum, a Metaph. vel vnio animæ cum corpore, vt Ariſt. alibi, à qua deinde actio proficiſcitur. Adde quòd, cum vitæ actiones ſint intelligere, ſentire, moueri, nutriri, ſi vita eſt actio, actionis erit actio, quod

eſt abſurdum. Denique ſi animæ rationalis, qua rationalis, ratione & intellectu ſolo, non etiam ſenſu aliquo naturali partes ad ſui nutritionem, ad alterius generationem, & alias eiuſmodi vitæ actiones impellentur. Fortaſſe cum definitionem ſuam aliunde hauriret Haruetus, legit actum, quem conuertit actionem. At actus entelecheia eſt, non autem ἔργον. Atque ita rectè definiretur vita, vt eſſet actus animæ in corpore. i. vis eius per vnionem vtriuſque. Ex quibus perſpicuum fit noſtro potius innato calori, vt animæ organo, quàm rationi ipſi, vitam vniuerſim acceptam referendam eſſe: ita tamen vt calor is humido primigenio perpetuò inhæreat, quod licet indies ab eo abſumatur, prouida tamen natura alium ex aſſumptis alimentis humorem in deperditi locum ſubrogat, vt priùs annotatum. At ex iiſdem alimentis alium inſuper vſum accedere putat Haruetus, ſpiritibus, inquit, reficiendis, & inſtaurandis, quem omiſit Ioub. quaſi humoris primigenij nomine humorem modò ſincerum, non etiam ſpiritus ipſos cenſeamus, quibus & calore natiuo perfuſum iſtud ſemper humidum intelligimus. Spiritus vero cibo & potu refici quis negat? Parergως igitur multa hìc aſſuta. Et verò paradoxως, quod proponit contra Hippocratis aphor. 14. pag. 18. pag. 15.



Digitized by Google

lib. 1. pluri alimento eum egere, cui languidior eſt calor: quod probat exemplo viri quadragenarij, qui, inquit, plus cibi aſſumit, quàm vllus ab altero aut tertio die natus puer, cui tamen plurimum ineſt huius caloris, ex ipſo Hippocrate. Infirmum, meo iudicio, ſi cætera componas & organa conferas, argumentum. Nam ne in verbo [ pueri ] vlla cauillatio ſubſit, παιδία voco, Græcorum more, pueros omnes vſque ad 14. annũ. Hos pro ventriculi captu plus alimenti aſſumere aio, quàm καθεστηκότας conſtantis ætatis viros, tum propter coctricis facultatis robur, (vnde celerrima ciborum confectio) tum propter frequentes exercitationes, inter quas plurimum eorum ſubſtantiæ per cutis poros effluit, vt taceam ex Hippo. allatam duplicem ciborum neceſſitatem alendi augendique corporis. Coctricis autem facultatis robur à temperie quidem pendet, ſed promota & excitata à calore natiuo, qui etiamſi aliam alimoniam priore confecta per ſe non inſinuat, vt obijcit Haru. quia tamen vbi priorem illam exhauſit, penuriæ quidam ſenſus in ore ventriculi exoritur, qui fames dicitur. Ad calorẽ velut agens præcipuum refert Ioub. aſſumendorum alimentorum quantitatem, cuius certa ſit norma fames ſeu appetentia. Spectatur ferendæ inediæ facilitas in non ap-

pag. 33.

Com. 1. aph. 13.

petendo, ait Gal. nihilque inde noxæ capiendo. Quod hîc adfert Haru. conualeſcentes à morbo benè appetere, neque tamen ijs pro ratione appetitus cibos offerri, ſed dum conſulitur virium reparationi, conſulendum & infirmitati caloris naturalis, qui non obruendus, ſed fouendus. Id fit, quia ſua organis temperies nondum omnino reddita, & facultates naturales adhuc à morbo imbecillæ largiùs aſſumpta coquere non poſſunt. At enim de ſanorum fame ſuam inſtituit Ioub. demonſtrationem, non ægrorum aut neutrorum. Vnde colligit ſenes, quia non multùm appetunt, nec multo cibo indigere, præſertim cum frigidum ſit eorum corpus; quod non concedit Haru. qui omnem mixtorum actionem ab ea, quæ in elementorum concurſu vicit, qualitate proficiſci ait: At in corpore viuente calorem cæteras ſuperare, à quo actio omnis, non à frigore, expectenda. Propoſitionem in mixtis inanimatis, & quæ ſimplices elementorum formas pro ſuis principijs agnoſcunt, cum Philoſophis admitto lubens. At in animatis, quæ nobiliorem habent formam, qua ignobiliores illæ, velut trigonum in tetragono, continentur, non ita facilè. Agnoſcunt enim pro functionum ſuarum principio naturam illam maximè propriè dictam, animam,

pag. 33.
pag. 43.



Digitized by Google

inquam, entelecheiam ſcil. corporis phyſici, organici, potentia viuentis. Quòd autem aſſumit Haru. in corpore viuente calorem cæteras qualitates elementares ſuperare, id ne quidem recipio, niſi calorem eum, qui per corpus diffuſus omnia regit & moderatur, quo viuente vitam, quo abeunte mortem irruere diximus, intelligat (vt videtur ex Ariſt.) qui non frigidum tantùm, humidum, & ſiccum elementare, ſed ipſum quoque calidum elementare, ipſe cœleſtis, ſuperat & ſibi mancipat. Nam ſi elementaris calidi dominium audiat, vt ſequitur ex ſyllogiſmo, obijciam ſalamandram, quæ in miſtione ſua temperamentum ita frigidum ſortita eſt, vt ignem tactum extinguat, non alio modo, quàm glacies: viuit tamen, non à miſtionis calore, qui cum depreſſus ſit, non poteſt frigoris ſuperare vires. Ergo à cœleſti illo, quo viuunt etiam ſerpentes, quas temperamento frigidas nemo neſcit. Quod ergo dictum eſt ſenum frigus diſſuadere ciborum copiam, ita capere debet Haruetus, nullum in humano corpore frigus dominari, immo ne vllum quidem actu eſſe: Sed Hippocr. ψυχρὸν Galeno & omnibus medicis eſſe ὀλίγον θερμὸν comparatè vt diſtinguunt vulgò. Itaque minorem & imbecilliorem eorum calorem paucis egere ſuccendiculis, vt exi-

Com. 1. aph. 14.

gua lucernæ ſtamma exigua olei aſſuſione fouetur, multa extinguitur.

Hactenus de agente. i. calore, cuius ex copia aut paucitate, copioſo aut pauco alimento corpora indigere pro Iouberto defendimus. Nunc ad patientis. i. humoris calori illi, ſubiecti vice, ſubſternendi naturam accingamur.

Ex omnium Medicorum conſenſu calorem vitæ primarium autorem conſtituimus, atque hunc functiones ſuas exerere non poſſe diximus abſque idoneo fomite, qui quidem humor eſt primigenius, in ipſis generationis noſtræ primordijs, ſemine & menſtruo ſanguine abundè cum ſuo calore congeſtus, ſed qui ætatis decurſu valde deteritur & deperditur, perpetuaque caloris ſui deflagratione in noſtram perniciem conficitur, quam vt remoremur, vt lucernæ oleum, ſic calori pabulum obiicimus, alimentum, inquam, quod prius illud humidum inſtauret, & à tanto incendio vindicet. Quòd ſi quis in corpore humor ſuperans ſit, quem partes conficere non potuerint ( Gal. vocat περιττὸν ὑπολειπόμενον, ſchola excrementum vtile ) qualis in oſſium, inquit, cauernulis & inanitatibus eſt reliquus, qualis ſpumoſa in pulmone humiditas, in articulis viſcidus & glutinoſus humor, in teſtibus & paraſtatis ſemen, in lingua ſaliua, in

In lib. 5. aph. 39.

mammis lac: Is alimenti vicem ſupplet & natiuo calori pro fomento eſt & ſuccendiculo, vt latè Ioub. ſuo paradoxo, & nos ſupra. Itaque quandiu in corpore ſupereſt is humor, cibo & potu corpus non eget: Nutritur tamen interea & viuit. Quod ſimili contentione negat Haru. & ſingulas ferè huius demonſtrationis periodos repellit. Nos relictis leuioribus, quibus aut ipſe, ſibi facta & ficta interdum obiectione, reſpondet, aut quiuis, vel in medicina tiro, ſatisfaciat, grauiora rationum momenta excutiemus: quanquam leuiuſculum errorem tolerare
pag. 47. non poſſumus. In propoſitionis huius initio imponit Iouberto, à quo ſcriptum erat; non ſolùm caloris paucitatem conferre ad faciliorem abſtinentiam, verumetiam humoris ſuperflui, & qui natiuum calorem occupet, abundantiam. Ita verò accepit gallico ſuo ſenſu Haruetus, quaſi diceret Ioub. Solum paucum calorem non tantùm conferre ad faciliorem abſtinentiam, verumetiam ad humoris ſuperflui, & qui natiuum calorem occupet, abundantiam. Hinc propoſitionem ſequentem elicit. Solum paucum calorem cauſam eſſe abundantiæ humoris ſuperflui: quam tanquam à noſtro Anteceſſore ſcriptam impugnat; quàm rectè iudicet lector e.
pag. 52. Magnum verò munus atque onus eſſe putat ille,
ſuſcipere

ſuſcipere & profiteri demonſtrandū aliquando nobis alimenti vice eſſe excrementū, eundem cum eo vſum habere, & quod caloris vi deperijt, reſarcire poſſe. Certè excrementorum non vna eſt & eadem ratio. Alia enim ſunt contra naturam, & prorſus inutilia, nobiſque diſſimilia; ideò aſſimilari nunquam poſſunt. Ea propriè περιττώματα dicuntur, vt fæces, lotium, ſudor, &c. Alia ſunt ſecundum naturam, alicui corporis parti vtilia, quantitate ſola excrementa, eaque non totius corporis, ſed tantùm alicuius partis reſpectu: Sic chylus, ſatiato ventriculo, tanquam ſuperuacaneū onus & excrementum in inteſtina reijcitur. Attractus ab hepate, qui ventriculi fuit excremētum, fit hepatis alimentum. In hoc dum ex chylo fit ſanguis, lien & bilis & folliculus vtramque bilem, iecoris excrementa, tanquam ſibi familiare alimentum attrahunt, cuius conuenienti ſibi parte recreati, reliquum tanquam iam inutile excrementum, quod deinceps nullam particulam delectare poſſit, deturbant. Ille quidem per vas breue in ventriculi fundum, aliquando & per hæmorrhoidas, atque hinc in inteſtina. Hic per pωron cholidocum, in duodenum & reliqua. Qua demonſtratione conficiebat Gal. vtramque illam 2. De fac. nat. ſanguinis partem, craſſam quidem & terrenam,



Digitized by Google

cho & inteſtinis ſtabulatur :-nondum enim attigit hepar iſtius coctionis officinam. Poſtremò nullum peculiare inſtrumentum dicitur adepta pituita, quia ſi aliquando per inedias ſanguinis penuria futura ſit, in eum conuerſa partibus in alimentum ceſſura eſt. At naturalis pituita non poteſtate & per inedias tantùm, ſed actu frigidas & humidas partes, vt cerebrum, glandulas, &c. aſſiduè fouet & nutrit. Excrementitia igitur eſt, ſed vtilis, quam eo loco Gal. in corpore manentem alterari poſſe ait. Nec diffitetur ille ad primum prognoſt. vbi eam vocat, non vt hìc ſemicoctum alimentum, ſed excrementum ſemicocti alimenti: quo referta corpora non modo μονοσιτίην ſemel in die tantùm edere, ſed etiam
ἀσιτίην inediam faciliùs præter conſuetudinem 2. De ac. diæt.
ferre aſſerit Hippo. Duo obijcit Haru. I. hydrope anaſarca (Latini intercutem dicunt) affectis
omnes corporis partes pituita turgere, eos tamen, niſi cibis ſubinde reficiantur, moribun- pag. 54.
dos in horas videri. At vero non quælibet pituita corpori alendo idonea eſt, ſed dulcis tantùm. Illa autem ſalſa eſt, vt pote quæ computruit in-
tercepta, vnde Gal. liuida dicitur, quæ propter Com. 7. aph. 29.
quoſdam alios humores admixtos, non modò
verum exactumque calorem, vt vult ibi Gal. 6. aph. 14. & ſect. 2.
ſed etiam temperiem mutauit, ita vt eam ſæpius aph. 482. Coac.

ὕδατος quam φλέγματος nomine apud Hipp. & Gal. audias. Hinc aquoſus languor Sereno, & aquoſus albo corpore languor, Horatio. Qua ſolutione ſatis etiam fit obiectioni, quam poſtea mouet de ægrotum excrementis, quæ, inquit, ſi alunt per morbi decurſum, cur, eis conſumptis, non ceſſat morbus? Qui ſi ceſſat, cur ita concidunt omnes corporis partes? At, bone vir, ea excrementa omnino contra naturam ſunt, purumque ſe ab ijs poſtulat animalis corpus, vt Gal. de ſero ait. Magis vrget quod paulò ante contendit, non rectè colligi à Ioub. vt ſi pituita plenus ventriculus non appetit, neque ſingulæ corporis partes eadem refertæ appetant. Is enim de quo hîc agitur ventriculi appetitus animalis eſt, inquit, qui cum cæteris partibus non ſit conceſſus, ſimiliter ſe ad eas habere non poteſt pituita illa, neque ſimiliter eas afficere. Reſpondeo duplicem ineſſe ventriculo appetitum, animalem & naturalem: Ille moleſtia quædam eſt & dolor oris ventriculi ex ſuctione compreſſionéve natus, quo irritatum animal cibum quærit: Hic autem vis quædam eſt à natura omnibus corporis partibus inſita, deficientis ac ſibi conuenientis ſemper appetens. Ille aſſumpti cibi vapore, tenuique ſubſtantia ſedatur: Hic ſola adiectione & aſſimilatione. Animalis ſoli

lib. 2. od.

pag. 66.

2. de nat. fac.

pag. 54.

ventriculo peculiaris eſt: Naturalis ventriculo cõmunis cum omnibus alijs partibus, à quibus tamen ad illius os ſuperius delatus appetitũ animalẽ excitat, quo veluti ſtimulo ad cibos ſumendos excitamur. Dum ergo crudus & pituitoſus humor in vẽtriculo moratur, vi eius inſita coquitur & elaboratur: conuenientiorem eius partem ſibi tunicæ, quæ ventriculi corpus conſtituunt, apponunt & aſſimilant. Sic expleto naturali appetitu, ventriculi os non ſollicitabit animalis. Si eodem humore vniuerſum corpus plenum ſit, eum ſibi ſingulæ partes, quibus eſt communis hic appetitus & communis ἐνδόσεως vis ſimiliter apponent & aſſimilabunt.

Atque hæc quidem ſunt argumenta, quibus doctiſſimus Ioub. ſuam ſententiam ſuffulſerat, hactenus meo iudicio integra, quibus addita erant exempla plæráque tum plantarum, tum animalium, quæ non multos ſolùm dies, ſed etiam annos ſine cibo degerent, vt ex plantis cæpe, allium, frumentum & omnia ſemperuiui genera: ex animalibus ſerpentes, lacerti, glires, vrſi, crocodili, chamæleontes. Quorum exemplorum vim euertere & infirmare conatur Haruetus oſtenſa ratione diſſimilitudinis, quòd inter brutorum, multò magis plantarum, atque pag. 70.
hominis vitam plurimùm interſit, cum hæc

aut etiam ſanguine ipſo, exercere volueris, ei epilepſiam, aut apoplexiam tali exercitatione contraxeris. Quod & à plantarum & à brutorum animalium vita noſtram differre ait, eiuſque principium, animam ſcil. humanam cæteras longè anteire, quis negat? quam etiam Ariſt. ſolam diuinam eſſe & extrinſecus accedere credidit. Sed quia plantarum vegetantem vim, belluarum ſentientem includit, dicitur corpus noſtrum nutriri vt planta, ſentire vt animal, ratiocinari vt homo. Quinimò principio vitam ſtirpis viuere autor eſt idem Ariſt. ſolamque tunc animam habere vegetantem. Dein tempore procedente ſubire ſentientem: tandem accedere intelligentem, quæ omnes ſecum perfectiones afferat. Non enim ſimul & animal fieri & hominem, nec animal & equum: quanquam hæc ſententia Chriſtiano Philoſopho non ita digna. Eſſet enim primùm beta aut lactuca; deinde canis, aut equus, aut quid huiuſmodi; tandem Cæſar aut Cato. Sed vrget Haru. atque ex Hippocr. probat veteres homini propriam victus rationem quæſituros non fuiſſe, ſi idem cibus & potus hominibus & brutis animantibus ſatis fuiſſet. Priſcis tamen temporibus, quod omiſit, idem Hippoc. ſubijcit, homines ijſdẽ atque cætera animantia eſſe vſos alimentis, ante,

Lib. 2. de gener. anim. cap. 3.

Pag. 72. de priſca medic.

*Impia quàm cæſis gens eſt epulata iuuencis:*
cum nondum frugibus inuentis glande veſcebantur,

*Contentique cibis nullo cogente creatis,*
*Arboreos fœtus, montanaque fraga legebant:*

quibus ſummus etiam creator hominem & Gen. 1. cuncta animantia veſci ſtatim à mundi ortu iuſſit. Quid igitur ſibi voluit Hipp? Veteres ſcilicet conſuluiſſe infirmitati caloris noſtri natiui, qui aliquando crudiores cibos conficere non poteſt, præparatis & arte emendatis magis fouetur & reficitur: qua ratione humana valetudo minus periclitatur: Alioqui & cicutam, vt ſturnus, & elleborum, vt coturnices, innoxiè, ſi aſſueuerit, aſſumet:

Martialis. *Profecit poto Mithridates ſæpè veneno,*
*Toxica ne poſſent ſæua nocere ſibi.*

3. de ſimpl. fac. Theoph. lib. 9. hiſt. plant. c. 18. Ariſt. de reg. prin. Sic Athenienſis anus à Gal. celebrata, cicutam: Thraſias rizotomos à Theophraſto, elleborum: Puella à rege Indorum ad Alexandrum miſſa napellum, ſine noxa diu omnes ſumpſerunt. Sed ijs intactis, an nō multa alia nobis ad vitam neceſſaria optima parens Terra è ſuo ſinu promit? Ea certè vt nos naſcentes excepit, ſic natos Plin. alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper, benigna, mitis, indulgens, vſuſque mortalium ſemper ancilla: quæ culta, quot omnis generis alimenta

ta

ta profeℓt? quot ſponte fundit? quos odores, ſaporeſque? quos ſuccos? quos tactus? quos colores? Et in animalia adhuc ſæuire, cum hæc diligentiùs attendimus, eſſe neceſſe putamus? ea carcere coërcere quibus Natura cœlum aſſignauit? Quin puras & ſine animalibus cœnas cum Pythagora lautioribus popinis anteponimus?

*Vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,* Ouid.
*Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbis*
*Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.*

Quæſitus ab Imperat. Domitiano Tyaneus philoſophus, cur communem vitæ rationem, quæ frequenti carnium eſu & vſu conſtabat, non obſeruaret, ſed terra tantùm genitis radicibus, fructibus, &c. vitam toleraret? reſpondit; Innoxium eſſe & ſalubre quicquid nobis terra germinat: nec alitem Phaſiacis petendam campis, aut attagenem Ionicis, quibus iucundior eſt vel Horatiano ruſtico teſte Philoſt. in vitaApollo.

*——lecta de pinguiſſimis*
*Oliua ramis arborum,*
*Aut herba lapathi prata amantis, & graui*
*Malua ſalubres corpori.*

Pergit Haru. in citatis exemplis refutandis, falſa eſſe omnia quæ de ſerpentibus, gliribus, &c. circunferuntur. Nam & ſerpenti in ſpeluncis pag. 67. 68. 69.



Digitized by Google

hyemo deliteſcenti terram pro alimento eſſe: glires, & vrſos autumno cibos condere, quibus vt formicæ, hyeme viuant: Chamæleontem muſcas deuorare: Crocodilum aquis diremptum diu viuere non poſſe ex Ariſtotele.

2, de gen. Serpentem ſola terra nutriri, tum philoſophi ratio diſſuadet, quæ nullum mixtum nutriri poſſe vno & ſimplici elemento aſſerit, tùm rerum euentus. Nam *piſces vt ſæpe minutos Magnus comeſt*, ſic à grandioribus viperis, aſpidibus, &c. minores deuoratos, præterea & bufones, ſæpe notauimus. Quamdiutiſſimè verò ſine cibo viuere poſſe ex iis demonſtrat Ariſtot. quos pharma-cotribes alunt, de quibus anteà. Quod dictum eſt ſerpenti Geneſ. 3. terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ, non anguium noſtrorum genus tangit, ſed antiquum humani generis hoſtem, cuius mancipia terram comedent id eſt terrena tantùm ſapient, vt exponunt Theol.

Hiſt. anim. lib. 8. cap. 4.

D. Aug. ſuper Gen.

Glires non tantùm in terræ ſpecubus, ſed & in cauis arboribus hyeme latere, per idque tempus ſomno pingueſcere ſcribit Philoſ. Conditis ibi cibis veſci opinatur Haru. & aduerſus Ariſt. mouetur hac ratione, quòd ſomnus ieiuno ventriculò corpus euacuet, præ calore ſemper humidum depaſcente; cui aduerſatur aph. Hipp.

8. hiſt. cap. 17.

pag. 68.

Lib. 5. aph. 27.

Quibus noctu bibendi eſt auiditas, ijs admodùm ſitiẽtibus obdormiſcere bonum eſt. Nam ſomnus omnium iucundiſſimè humectat corpus, non quidem omninò vacuum & ſiccum, ſed cibo aut crudo ſucco refertum, naturali facultate, per id temporis, in cibi crudorumque humorum concoctionem validiùs incumbente. Quis igitur dubitet ſegne animal & crudis humoribus plenum per ſomnium impingueſcere? Somno concoquere corpulentiæ, quàm firmitati vtilius, inquit Plinius. Lib. 11. cap. pen.

*Dormitis nimiùm glires, vitulique marini,* Martialis.
*Nil mirum, ſi vos craſſa Minerua premit.*

Propter indulgentiorem vitam animalia hyeme in cauernis deliteſcentia obeſiora cæteris repeiuntur, & mulieres viris, ait Gal. quoniam fœmina mare eſt frigidior, & plurimùm domi verſatur. 2. de temp.

Vrſos ſui latibuli tempore nihil edere duabus de cauſſis probat Ariſt. & quòd neque foras prodeant, & quòd capti ventre inteſtinoque inani videantur. Priorem conuellit Haru. quòd habeant vnde viuant. At tam procero animali quot pomorum plauſtris in tot dies & menſes eſſet opus? Poſteriorem ἀυτοψία probat. Narrant enim eorum inteſtina per inediam ita conniuere, vt adducta prope cohæreant: ideóque pri- 8. hiſt. ani. cap. 17.

mùm exeuntes herbam quandam Aron nomine, laxandis inteſtinis alioqui concretis, deuorare. Primis diebus bis ſeptenis, quibus latent, tam graui ſomno premi teſtantur Plinius & Olaus, vt ne vulneribus quidẽ excitari queant: Tunc mirum in modum veterno pingueſcunt, ſuctu præſertim dextri pedis, addit Olaus, quod ita audiendum, vt poſt dies illos quatuordecim ſomno traductos aſſurgant in nates & priores pedes ſugentes vitam ducant, donec vere aduentante procedant: mares quidem præpingues, multò minus fœminæ, quòd eo tempore pepererint, non candidam informemque carnem, quam poſtea lambendo paulatim figurauerint, vt perperam credidit antiquitas, ſed fœtum planè formatum, qualem in vrſa fœta recens diſſecta inuentũ teſtatur magnus Scaliger.

Lib. 8. hiſt. nat. cap. 36. lib. 18. hiſt. Septent.

Exerc. 6. 15.

Chamæleontem quendam ante Haru. idem Scaliger refert, cum à Ioan. Landio in vltima Syria agente emptus eſſet, obſeruatum linguæ repentino momentaneóque iaculatu muſcam, quæ in eius eſſet pectore, legiſſe. Id ſanè nouum eſt ijs, qui ſolum animalium nec cibo nec potu ali, nec alio, quàm aëris alimento exiſtimarunt, ieiunum ſemper & indefectum vt loquitur Tertull. Quòd tamen aër illi pro cibo ſit aliquandiu, ex eo patet, quòd & annum integrum ine-

Exerc. 196. 4.

De pal.

Digitized by Google

diam toleraſſe ſæpe viſus ſit,autore eodem Scal. & quòd vbi excepit hiatu auram & occluſit malas, turget ei venter. Sunt qui dicant obuerſum ad Solem haurire radios, eoſque conuerſione hiantem ſequi. Quid ſimile ſubolent aurea hæc Tertulliani verba. Oſcitans veſcitur, follicans ruminat, de vento cibus.

Crocodilum quatuor menſes hyemis inedia 8. hiſt. an.
ſemper tranſmittere in ſpecu tradit Ariſt.& poſt cap. 15.. 8.
eum Plin. Sexaginta tantùm dies latere, & ſine hiſt. nat. cap. 25.
cibo durare autor Ælianus. Theatrali ſpectaculo Crocodilos exhibuit Symmachus vir Conſularis, quos inedia per dies iam quinquaginta
producta macerabat. Duos etiamnum ſpiran- Lib 6.epiſt. 44.
tes in amicorum abſentium aduentum multò poſt ſine cibo aſſeruauit; licet eos, inquit, cibi abſtinentia longum viuere poſſe ſpondere non
videretur. Quod opponit Haru. ex Ariſtotele, 8. hiſt. cap. 2.
Crocodilum ab aqua ſemotum diu viuere non poſſe, interpretationem accipit ex eodem loco, vbi ſcribit, Crocodilum quamuis humore gaudeat, & ita vt ne viuere quidem diſcluſus ab aquæ natura valeat: tamen niſi aërem inſpiret interire, immò parere educareque in ſicco ſolere. Quoniam igitur ei vita in aqua terraque communis, inter amphibia & ancipitis naturæ animalia, ἐπαμφοτερίζοντα vocat, recenſendum.



Digitized by Google

Cap. 10. cenſet: alioqui ſibi aduerſaretur, qui lib. 2. eiuſdem operis eum dies in terra agere, noctes in aqua ſcribit, teporis vtrumque ratione: quod de eo tempore, quo latere non ſolet, intelligendum eſt, quia frigus ita moleſtè patitur, vt etiam cœlo ſereno, ei in terra verſandum ſit, in aqua noctu.

His addo Indicam illam apodem, vulgò Manucodiatam dictam, quam etiam, quia primùm ex incompertis locis deciduam Mahumetani ſacrificuli Paradiſo miſſam eſſe Molucarum Regi olim perſuaſerunt, Paradiſi auem incolæ nuncupant. Ei perpetua in aëre vita eſt, nec terram vnquam niſi mortua contingit, quo tempore diutiſſimè incorrupta ſeruatur. Hæc non culicibus aut huiuſmodi inſectis alitur vt paſſeres & hirundines (ſuperiorem enim incolit aëris regionem, in qua animalia nulla nota nobis quibus ali queat) ſed aëre ſolo, aut vapore ex inſulis illis Molucis aromaticum odorem vndecumque ſpirantibus elato. Aëre ſolo & puro veſci ideò negat Cardanus, quia nimis ſit tenuis. Sed qui dedit illi aërem pro cibo, dare etiam potuit concretionem aëream ad cibum.

In vita Artax. Nec minus miram celebrat Plutarchus auiculam quamdam Rhintacen nomine in Perſia frequentem, cui vacuum nihil ſuperat: quini-

Digitized by Google

mo tota intus ſumine atque adipe plena eſt. Eam vento atque rore nutriri refert

Pyrauſtam maioris muſcæ magnitudinis animal, pennatum, quadrupes memorat etiam veritatis princeps Ariſt. in ærariis Cypri farnacibus, quandiu ignis adeſt, viuere: Cum euaſit longiore paulò volatu, emori. Suſtinetur igitur & fouetur frigidiſſimū animal ſolo caloris exceſſu. Lib. 5. h. an. cap. 19. Plin lib. 11. cap. 36.

Sed quid immoror diutiùs in his exemplis, ex quibus ad homines conſequentiam trahi non poſſe vbique profitetur Haru? Ipſorum igitur hominum exemplum fortaſſis eum mouebit. Id omni exceptione maius eſt, Henrico etiam tertio in Polonia agenti à principibus fide digniſſimis teſtatum. Aderant quamplurimi Galliæ proceres, ſenatores, &c. Aderant & aulæ medici, inter quos D. Ioan. Piduxius primicerius noſter & Decanus, non artis medicæ ſolùm, ſed totius etiam naturalis hiſtoriæ ſcientia clariſſimus, Illuſtriſſ. Principis Ludou. Gonzagæ Niuernenſis Ducis valetudines tunc regere ſolitus, ſed & ipſi Regi conſilij copiam præbere, à quo id primùm didicimus. Relatum eſt ab Alex. Guiagnino Veronenſi peditum in arce Vitebska finitima Moſcouiæ præfecto, in ſua Moſcouiæ deſcriptione.

*Quoſdam igitur populos refert, Lucomo-* Guagninus in Moſcouia deſcript.

*riam vlterioris Sarmatiæ regionem incolentes, quotannis 27. Menſis Nouembris die, velut hirundines, & ranas, præ intenſo frigore brumali mori. Poſtea redeunte vere 24. Aprilis die, eos denuo reuiuiſcere aiunt. Hi autem hoc modo commercia cũ Gruſtentzijs & Sperponountzijs populis ſibi vicinis habere dicuntur. Cum iam futuram mortem ſibi imminere ſentiunt, tunc merces ſuas certis in locis deponunt, quas Gruſtintzij & Sperponountzij ſuis mercibus interim æquiualentibus eodem loco relictis, auferunt. Illi autem reuiuiſcentes, illas merces, ſi æqua cõmutatione ſibi placuerint, pro ſuis accipiunt: ſin minus iuſtæ fuerint, à Gruſtintzijs & Sperponountzijs ſuas repetunt, vnde lites & bella hac de cauſa inter eos ſæpiſſimè oriri dicuntur.* Hæc Guuagninus. Eandem hiſtoriam habet Sigiſmundus Liber Baro in Herbeſtein his verbis.

*In itinerario ad Peczoram, &c.*

*Lucomoriæ hominibus mirabile quiddam ac incredibile, & fabulæ perſimile aiunt accidere, quos in ſingulos annos, nempe xxvij die Nouembris, quæ apud Ruthenos S. Georgio ſacra eſt mori aiunt: ac vere inſequenti, maximè ad xxiiij. Aprilis ranarum inſtar, denuo reuiuiſcere. Cum his quoque Gruſtintzij & Sperponuntzij populi noua, & alia inconſueta habent commercia.*

*commercia. Cum enim ſtatum tempus moriendi, ſeu dormiendi ipſis imminet, merces certo loco deponunt, quas Gruſtintzij & Sperponuntzij, relictis ſuis interim æqua commutatione mercibus, auferunt: eas illi rediuiui; ſi iniquiore æſtimatione abductas eſſe viderint, rurſus repetunt: vnde lites plurimæ ac bella inter eos oriuntur.* Cæterum per ſoporem illum non extinguitur innatus horum corporum (alioqui huic aëri aſſuetorum, geluque, vt loquitur Alb. Crantzius, recoctorum) calor, quia is, omnibus poris, meatibus, ductibuſque frigore conniuẽtibus & obſeratis, circa viſcera colligitur, atque hac veluti antiperiſtaſi, ſeipſo, in proximum ver, auctior & vegetior efficitur. Periclitaretur inter omnes corporis partes maximè cerebrum, multis iiſque amplis foraminibus, narium præſertim patens, niſi dum rigere incipiunt tenuis illis & aquea pituita è naribus ſtillaret, quæ (ex relatu eiuſdem D. Piduxij) profluens non minus congelatur, quàm ſputum ipſum, quod idem Sigiſm. ab Herbeſtein frigore concreſcere teſtatur, antequam terram attingat. Sic noua ſubinde deſcendente, ſubinde concreſcẽte ad terram vſque eodẽ planè modo ea pituita producitur, quo apud nos per ipſam hyemem pendula è prtoectis ſtilicidia: vnde Hiſt. Moſcou.

naribus obturatis cerebrum aëris inclementiæ minùs peruium & penetrabile eſt. Nam ſi quis, aduerſus hanc aëris iniuriam tum pellium amictu, tum curruum mole inſtructior, ſtiriã iſtam vi diuellere tentet, ſtatim irrumpente, qua data porta, in cerebrum aëre frigidiore natiuus eius calor extinguitur, iacẽteſque æternùm pereunt Lucomori. Sin tempeſtatis ſerenioris leni aura detur frui, fuſa illa pituita ſenſim calor redit oſſibus, redit ſuis membris vigor & ſenſus, idemque, qui priùs inerat, functionũ omnium ordo.

Totam iſtam exercitationem claudit Haru. ſanctorum virorum Moſis, Heliæ, & ipſius Soteris noſtri ieiunio, quod pro miraculo, inquit, non habebitur, ſi ſecundùm naturam ſit tam diutina inedia. Reſponderat Ioub. naturalem eſſe valetudinarijs diutinam iſtam inediam: ſupra naturam eſſe in hiſce viris alioqui perfectè ſanis, & vt noſtri loquuntur, ad pondus temperatis. Obijcit Haru. citatum à Ioub. Auicennæ locum, hoc item ſanis hominibus poſſe contingere. Nos Iouberti ſententiam ita audimus, vt noſtros omnes abſtinentes ſuſtinendæ inediæ facilitatem ab aliquo contra naturam affectu contraxiſſe credamus, quanquam ſanos poſtea viſos: Sanctorum verò naturalem appetitum, nullius morbi interuentu, peculiari Dei

conſilio, in certum tempus extinctum.

Tandem vnumquemque hortatur ad imitationem viri cuiuſdam nobilis, qui diligentiore cura mentitum Sabaudici anachoretæ ieiunium deprehendit. Nos qui tot oculatiſſimis medicis, quos laudat Ioubert. qui ipſis noſtris oculis fidem detrahere non poſſumus, rariorum iſtorum naturæ operum cauſſas vnumquemque perſcrutari malumus, quàm, vt Vlyſſis ſocij, deguſtata Loto, nullos præter Eduſam & Potinam noſſe Deos.

*FINIS.*



Digitized by Google

# ABSTINENTIA
## PVELLÆ CONFOLENTANEÆ
### AB ISR. HARVETI CONFVTATIONE VINDICATA.

CVI

*Præmiſſa eſt eiuſdem puellæ*

ΑΝΑΒΙΩΣΙΣ.

Digitized by Google

# ΑΝΑΒΙΩΣΙΣ
## PVELLÆ.

*VIX Lycei noſtri limen euaſerat Abſtinens Confluentana cum latiùs peruagata ſingularis exempli fama vnumquemque permouit, & ad ſui ſpectaculum admiratores quamplurimos euocauit. Ex his rei diligentiùs internoſcendæ cupidiores quidam Medici, impetrato, vt ferebant, Regio diplomate puellam noſtram in arcem vicinam, in quam frequentiſsimè diuertere ſolita erat, arceſſunt: per triduum attentiſsimè obſeruant: quarto demùm die, cum illa ſui longinquiùs abducendæ cauſa rem totam perfici ſubolere cæpiſſet, in lacrymas verſa lares patrios repetere optat matrem diu multúmque inclamat. Vocata mater ne quidquam filiæ pertinaciam flectere nititur. Eam itaque per fletus*

*luctuſque frequentes domum reducere coacta, ſedulos etiam illos cuſtodes admittit, quorum ſagacem curam cum moleſtè ferret propoſiti alioqui non inſcia puella, & à parentibus vti ſeſe hac cuſtodia tandem egregio aliquo conatu liberaret, obſeruatorumque induſtriam eluderet admonita per triduum lacte tepente os & fauces irrigat, mox iuſculum ſibi parari imperat: eius aliquãtum hauſturã ſe promittit: parati vnum & alterum hauſtum exorbet, quem multo labore deglutire conata, effecit demùm vt benigno iuſculi tepentis humore laxata antiqua potulentorum eſculentorumque via ſenſim dehiſceret, & veteris officij memor ventriculus qu antulum erat aſſumptum exciperet atque amplexaretur. Exinde paulatim cibis firmioribus aſſueuit ſeſe, & priſcas edendi bibendique vices non ingratiis repetijt, reddito priori vultu, liberali illo quidem & viuido, totoque habitu ſpecioſiore facto. Quem ſanè euentum noſter Haruetus* μισάσιτος *pridem etiam adhibito infauſto ac infeſto prognoſtico nos minimè ſperare iubebat*. Hanc tuam Conſolentaneam (inquit) mors neceſſariò, eaque breui, niſi iam actum ſit, conſequetur. *Conſuetam Iuriſc. formulam vſurpare illum praſtiterat :* Nondum liquet. *Coniecturalis enim*

*ars*

*arſ eſt noſtra, ratioque coniectura talis eſt (ait Celſus) vt cum ſapiùs aliquando reſponderit, interdum tamen fallat nos: quanquam huic noſtro euentui nec exemplum, nec ratio fortaſſe deerit, ſi per epiſtolæ modum hîc aliquid audere liceat. Puellam duodenam narrant Gallicorum Chronicorum ſcriptores Imperante Lothario totos tres annos Conuernaci Tullenſis agri ſine cibo & potu traduxiſſe, ab anno quippe* 822. *ad* 825. *circa Nouembris initium, quo cæterorum hominum more, corporis vires cibo & potu denuò reficere cœpit. Ratio verò ex eo Hippocr. aphoriſmo depromi poteſt, quo humidioribus corporibus famem ex vſu eſſe monet.* λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα, inquit. *Poſtquam igitur diuturna fame ſiccius effectum eſt corpus, exhauſtuſque qui carnes perfundebat humor, iam omnes partes deficientis alimenti ſenſu percitæ futuris dapibus inhiant, & ventriculum coquum ſuum illis allatrare cogunt. Huic affectui ſiue potiùs defectui cum nec occurrere nec ſuccurrere noſtra puella primùm poſſet, propter œſophagi anguſtiam, paucos ante menſes iam cœperat hanc appetentiam fallere lactis interdum guttula ore diutiùs verſata. Poſtremò verò parentum nunquam videndorum metu percuſſa commotiſque viſceribus*

Lib. 7. aph. 59.

P

à matris gremio & complexu filiam auelli non ferentibus excitata valentiùs animalis facultas emollitum iam & madefactum gulæ corpus, ſui ſpiritus vi & impetu, nullo negotio diducere potuit. Quid enim non poſſit qui ſuprema vincit tenellæ in matrem amor filiæ, potentiſſimum naturæ vinculum, ſecundáque, In Epiſt. vt loquitur D. Hieronymus, poſt Deum fœderatio? quæ Crœſi filium etiam à natura mutum patris iamjam perituri ſaluti vocalem olim repente fecit? Hinc minùs mirum videri debet puellam inedia triennali propè confectam, velut oblitam quam ſibi conſuetudo firmaſſet ἀσιτίαν, tacito quidem illo, ac vehementi animi motu & affectu concitatam, reliquo hominum generi conſuetas viuendi leges iterum amplexam.

Digitized by Google

# ABSTINENTIA
## PVELLÆ
## CONFOLENTANEÆ
### *AB ISR. HARVETI*
### *CONFVTATIONE VINDICATA.*

NVNQVAM dubitauit eruditiſſimus diuinorum eloquiorum interpres Philo, quin animam haberemus è diuina mente delibatam, ſiue ſplendor illius eſſet & quaſi radius, ſiue particula: quæ antequam corporis carceribus premeretur nullius ignara rei in prototypo ſuo, velut in ſpeculo, τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα contemplabatur, ſimplicique intuitu norat. Nunc alto demerſa corporis ergaſtulo, eiuſque labe & contagione obſita rerum omnium obliuione tenetur, & addiſcendi nouas leges conſequentium

De mundi opif.

ex antecedentibus, & poſteriorum ex prioribus collectione (quam λογισμὸν ſiue ratiocinationem dicimus) ſummo labore conſequitur. Quæres quæ præcipua cauſa ſit, cur corpus ſuo contactu ſubſtantiæ illius diuinæ aciem adeò retundit, vt ad diſcendum atque intelligendum inde tardiores euadamus? Eam eſſe vult Haruetus Aurelianenſis medicus, corpoream organorum ſubſtantiam. At hoc eſt principium petere. Sed quare corporea organorum ſubſtantia animæ vim obtundat, hoc demùm eſt quod quæritur: quod ſi non aſſequar, tunc tarditatis noſtræ cauſam non intellectam à me fatebor.

Duo ſunt ſenſus organa ſpiritus & ſenſoria. Spiritus quidem natura ſua tenuiſſimi ſpecies ociùs traducunt per ſenſoria benè aptéque conformata, & laudabili temperie donata. Vitiantur autem vtraque tùm ſpiritus, tum ſenſoria, ab immmodico potiſſimùm, ſuperuacaneo & redundante humore, à quo non aliter, quàm vina ex multa aquæ affuſione, hebetantur: ignea quidem ſpirituum vis eius frigiditate obruta, & partium ſenſilium ſubſtantia nimio madore reſoluta, proindéque ſpiritibus ipſis minus peruia. In humano verò corpore plus iuſto ſuccreſcit humor hic ſuperuacuus, cum pluri vtitur alimento: in quo conficiendo & aſſimi-

lando maxima pars corporis ſubſtantiæ apponi non poteſt: ideo per ipſius laxiora intus ſpatia tanquam ſuperuacanea erret neceſſe eſt, ait Galenus. Vnde fit vt pueri, qui propter accretionis neceſſitatem pluri vtuntur alimento, humore hoc maximè abundent, & per conſequens iudicio minus polleant, mentiſque acumine viris, tam copioſo alimento facilè carentibus, inferiores ſint. Quæ cauſa olim Iuriſconſultos mouit, vt minores vigintiquinque annis à rerum ſuarum adminiſtratione remouerent. Poſt vigeſimum verò quintum annum ſui eos iuris facerent, nec ſua tantùm bona, ſed & Reſpublicas gerendas regendaſque illis crederent: quia iam eam ætatis partem attigiſſent, quæ calida cum ſit & ſicca, humiditatem illam nimiam abſorbet, & ad ratiocinandum apta deinceps reddit organa. Hinc noſter Hippocr. epilepſiam (quæ ab hoc humore ſæpiùs cerebri ventriculos intercipiente fieri ſolet) cum loci victuſque, tum maximè ætatis mutatione ſolui afferit. Hanc autem ætatis mutationem definit Hippocrat. toto pubertatis tempore, quod à 14. ad 25. annum circumſcribit ibi Gal. quos per annos natiuus calor, qui prius ab humido oppreſſus, quaſi ſtrangulabatur, alacrior & vegetior efficitur, nouaſque ex noua naturæ ἐκλάμψει vires acquirit,

1. de ſanctu.

Lib. 2. aph. 45.

Lib. 5. aph. 7.



Digitized by Google

vt humida illa cerebri dyſcraſia diſcuſſa, prauaque corporis cōſtitutione correcta, tùm corpus totum validius, tum maximè partes animæ functionibus dicatæ firmiores euadant. Hoc eleganti ænigmate, ſuo more, velauit Plato, fingens *Hominis primùm formati diuinam animam* Timæo. *in corpus influens atque effluens immiſſam Ipſius verò ambitus in largum amnem immerſi neque tenebant*, inquit, *neque tenebantur, ſed vi magna tum ferebant tum ferebantur. Cùm autem plurimus inundaret fluctus atque deflueret vnde animal nutriretur, multo maior ab externis affectibus turba conſequebatur. Quamobrem*, inquit paulò poſt, *animus ab initio, cum primùm mortali inditur corpori, amens efficitur. At poſtquam accretionis & alimoniæ riuus parciùs fluit, animæque circuitus tranquilliore motu iter ſuum peragunt, proceſſuque temporis magis firmantur ſedanturque tunc ſingulorum circulorum directæ conuerſiones eiuſdem & alterius naturam probè diſcernunt, hominemque ſic conſtitutum prudentem efficiunt.* Quo ænigmate tenellam adhuc & fluxilem puerorum naturam denotari Quod. ani. mo. ſequ. temp. corp. monet Galenus. Prælargiori namque eorum humore mens inundata ſpiritus ſuos regere non poteſt, ſed huc illuc delatos ſui muneris impo-

tes impatienteſque fieri patiatur neceſſe eſt, eóque multo magis, quo copioſiore ingeſto alimento maior vniuerſæ corporis œconomiæ diſcordia conſequitur. *Ab iis enim omnibus per corpus motus vſque ad animam pertingunt*, inquit Plato, *multoſque & maximos motus cient, riuo illo iugiter fluente, hiſque fluctibus vehementer anima circuitus quatiunt*.

Quamobrem pueri etiamſi natura rationis participes, tamen ratione nondum vti queunt, ſed quo humidiores, eo amentiores videntur. Quòd autem humor hic, quem dementiæ autorem eſſe vult Plato, etiam ab alimento ſit, aut ab eo foueatur, indicant quæ ſequuntur. *Nam vbi incrementi*, inquit, *atque alimoniæ parcius flumen illabitur, &c. prudentior efficitur.* Quoniam igitur tāti eſt ſiccitas ad prudentiam, humiditas ad dementiam, illaque huic promiſcua tantùm de abſoluta adimit prudētia, quantùm humiditatis ex cibis & alijs humectantibus acceſſit, hominis animus eo propiùs accedit ad prudentiam, quo minus humoris illius corpus admittit: Ideoque moribundos vt plurimùm videas huius humoris magna ex parte defunctos, dum minutim labentes & labantes corporis vires præſentiſcunt, res abſtruſas & à vulgari mente ſummotas feliciùs attingere, & mo-

re olorino ſuauiùs efferre, vnde nouiſſima verba augurij loco apud antiquos habita: Quæ etiam falſi arguant tuam illam propoſitionem. *Nihil in intellectu eſſe quod prius non fuerit in ſenſu*, vt ſileam ſpecies multas ſuæ animalium intelligentiæ (quam etiam διανοίας nomine comprehendit Ariſt.) connatas, vt lupi agno, aquilæ pullo, &c. quas veluti præſentes, in quouis ancipiti caſu, etiam nunquam externis ſenſibus exceptas exhorreſcunt. Quid reſpondeas Galen. qui à ſenſibus non habere animalia ſcribit, quod ante organa nata, eorum actiones perficere geſtiant, vitulus cornu ferire, catulus dentibus, &c. *Omne enim animans*, inquit, *ſua ipſius animæ facultates, ac in quos vſus partes ſuæ polleant maximè nullo doctore præſentit.* An cum in ſeſe reflexus & conuerſus intellectus ſemetipſum intelligit, habet à ſenſibus?

Ariſt. hiſt. an. lib. 9. cap. 7.

1. de vſu part.

Sed quàm altum ſaperet noſtra Conſolentanea ſuæ abſtinentiæ tempore quærebas. Ante libellum noſtrum alter prodierat Chirurgi Confluentani totus in enarrandis eius grauioribus & ſanctioribus, quàm tuorum ethnicorum Platonis & Ariſtotelis, animæ eiaculationibus: quæ quia nil mortale mihi ſonare videbantur, conſultò à me rei naturalis hîc cauſas nidagante prætermiſſæ.

Quod

Quod ais me *contra naturæ à Deo inſtitutas leges optaſſe nos cibo & potu in perpetuum carere poſſe*, non ſine exemplo factum. Optauit & ipſe D. Paulus contra naturæ à Deo inſtitutas leges diſſolui & eſſe cum Chriſto. Optauit beatus Auguſtinus contra eaſdem leges videre Chriſtum in carne, Paulum in cathedra, Romam in triumpho. Quid ſi negē votum meum contra naturæ à Deo inſtitutas leges? qui ipſe per Hieremiam, *Venient*, inquit, *& laudabunt in monte Sion & confluent ad bona Domini ſuper frumento & vino & oleo & fœtu pecorum & armentorum, eritque anima eorum quaſi hortus irriguus & vltra non eſurient.* Quem locum ſi literali ſenſu expoſiturus eſt Haru. vt infra promittit, benè paſtos fateatur oportet, ſucco deinceps victitaturos ſuo, & (vt qui apud Platonem cœnarant) poſtea etiam diutiùs ſuauiter acturos. De viuis enim ſermo eſt. Ad Philip. cap. 1. Cap. 31.

His emiſſis veluti leuis armaturæ copijs, quæ in priori abſtinentis noſtræ parte ſeueriùs animaduertit Haruetus expendamus. Ac primùm quam ferendæ inediæ facilitatem à tribus cauſis petieram, natura caloris validi vel imbecilli, conditione materiæ concretæ vel fluxilis, & habitu corporis raro vel denſo, ſecundùm quas triplex noſtra ſubſtantia magis minuſve diffluit,

eam ille conuellere putat, præterea propoſitis tribus alijs vacuationis cauſis, Ingeſtis, Aëre & Motu, quas neſcio quo ſuffuſionis genere perculſus, non vidit à me ſtatim ex Galeno ſubiunctas, præter primam inſtituto noſtro ex diametro repugnantem. Nam confundere mihi videtur genera rerum, qui vacuationis cauſis veram & vnicam repletionis cauſam annumerat.

Aphor. lib. 2. 17. 18. *Si præter naturam copioſior cibus ingeſtus eſt morbum* (id eſt plenitudinem) *inde creari indicat ſanatio*, inquit noſter Hippocr. Sequens Hippocr. aphor. non docet τὰ τρέφοντα ἀθρόως καὶ ταχέως vacuare, ſed naturæ vi quamprimùm vacuari. Hoc enim ſonat ταχεῖαι αἱ διαχωρήσιες γίγνονται. Quòd ſi hoc reſponſo poſterius propoſitionis meæ peccatum tibi pacatum videbitur, erit & prius, quod nondum adſtruebat integram inediam, quæ ibi tantùm perſtringitur. *Quin ne vllus quidem, &c.* Non eſt igitur quòd criminetur Haru. ex minima me vacuatione nullam inferre refectionem, quod vetant vel ipſa etiam verba paulò poſt, neſcius ne eſſet, repetita. *Quod ſi cauſa ceſſet, &c.* Vnde conficitur nulla facta ſubſtantiæ deperditione, nulla perinde opus eſſe inſtauratione.

Id inductione quadam & à brutis ſimilitudine ducta oſtenderam, quod concludere negat

Haruetus: *Primò*, inquit, *quia alia eſt conditio & natura hominis, alia bruti*. Sed non expoſuit quænam ſit illa conditio, quæ aliam vim altricem bruto tribuat, aliam homini, niſi rationem intelligat, quam huic miniſterio præfici velit; quod ſi eſſet, vt in animi partibus, ſic in alendi forma longè homo cætera animantia anteiret. At in hoc negotio ſatius eſſet nullam omnino nobis datam eſſe rationem (vt dicebat Velleius apud Ciceronem) quàm tanta cum pernicie datam, qua nimirum abutimur in tanta ferculorum & condimentorum varietate. Eam tamen conditionem in quarta ratione (quæ eadem cum prima) videtur contrahere ad varias vitæ ſpecies. *Nam alia eſt ratio*, inquit, *vita vegetatiua qua tunc ſolum viuunt ij, de quibus eſt quæſtio*. At contendit poſtea ſpecificam eſſe vegetatiuam plantis, animalem brutis, humanam hominibus, quarum neutra eſt alijs communis. Nunc communem brutis concedit vegetatiuam, hominibus animalem ſeu ſentientem, & proinde eadem conſequutione vegetantem. Gaudeo mecum concurriſſe dum meminerit. Noſtra ergo ſimilitudo hactenus etiam per ipſum aduerſarium conſtat, qui hac in re nondum Galeno repugnare auſus eſt, à quo videbat idem argumentum eodem planè

Lib. 1. de nat. Deo.

Deven.ſect. ad Eraſiſt.

modo aduerſus Eraſiſtratum contortum. Eraſiſtratus inediam habebat loco valentioris cathartici & vacuantis remedij. Negabat Galenus. Obijcit Eraſiſtratus quamplurimorum exemplum, qui ob ciborum inopiam famis tempore interierunt. Reſpondet Galen. non ob inopiam ciborum id contigiſſe. *Nam eadem quoque ratione*, inquit, *animantia in latebris degentia ſine ciborum copia perdurare nequaquàm poſſent. Perdurant vero hæc, quia à ſupradictis cauſis denſata cute nihil effluit.* Vnde concludit ea quæ fame premuntur non præ inedia, ſed præ cutis raritate reſolui, *quam ſi frigore*, inquit, *& quiete denſaueris quid commodi amplius ex fame expectabis?*

Diſſimilitudinem ſecundò oſtendit quòd alia ſit ratio 2. aut 3. menſium hyemalium, alia 3, 20, 30, & 40, annorum.

Id habeat locum in vrſo, glire, crocodilo. Quid? annon manucodiata, chamæleon, &c. toto vitæ tempore abſtinentes? quæ (vt etiam tertiæ rationi eadem opera ſatisfaciam) ieiunij tempore ſomno ſopitæ non ſunt, immo neque vrſi, ſi ſcriptoribus habenda fides, qui ſolis primis diebus [illegible]4. ieiunij ſui ſopiti ſunt: reliquo tempore vigilare priores pedes ſugentes traduntur.

Lucernarum ardẽtium exemplum erat adductum, vt humoris interni & natiui (quem Chymiſtæ nomine ſulphuris donant, quemque purum & ſyncerum ſeſe iactant è ſingulis rebus arte ſua elicere) natura clariùs eluceſceret.

Proponit deinde puellæ noſtræ hiſtoriam, quam aut omiſſam decuerat, aut aliquid in eam animaduerſum. In cauſarum procinctu queritur nihil à me doceri de febris materiali cauſa. At nihil adeo toto libello recantatum atque ille crudus & pituitoſus humor, in omnibus corporis partibus redundans, qui concepta putredine in maioribus vaſis quotidianam continuam accendere creditur. Pathognomonica eius ſigna non niſi præſenti annotare licuiſſet.

De delirio quod ſcribit à me ieiunè propoſitum, hyperbolicῶs ieiunum pro temperato dixit. Nam pluribus præter inſtitutum agere non decuit. Satis hæc fuere, vt conſtaret ſola calidiori cerebri intemperie ſpiritus agitatos rerum ſpecies & phantaſmata confudiſſe non vllos vapores atros, fuliginoſos, melancholicos, qui παραφροσύνας μανιώδεις καὶ μετὰ σπουδῆς concitare ſolent. Hæc autem quæ à ſola caliditate fiunt deliria comparat Galen. ijs quæ in ebrijs apparent, In lib. 6. aph. 53. vbi non tam alienus humor eſt, qui membranas vellicet, quàm calor ſimplex & adſcitus ex præ-

cordiorum & omnium viſcerum expiratione: quominus iam miretur Haru. in cerebro tanta pituitæ crudæ, ſed dictis de cauſis accenſæ, copiâ referto tantum fuiſſe calorem, vt excitaret delirium.

Quod ſecundò obijcit me nec accretionis corporis cauſam expoſuiſſe, nec ex qua materia fiat carnoſior, id hominis eſt manum de tabula tollere neſcientis. Hippocratis breuitatem admiror qui nunquam oleum pingue dixit quaſi hoc illo ſatis innoteſceret. Cum puellam 14. annorum deſcripſiſſem, colligere debebat Haru. ſequax eſſe & tenerum corpus, quod diduci & in omnes dimenſiones augeri facilè poſſet, dum ſuppeterent agens & materia. Agens auctrix eſt facultas, quæ donec conſtitutum terminum attigerit, nunquam otiatur, eodem quo cæteræ facultates organo, calore natiuo, vſa; cuius vis non eſt qualitate æſtimanda (alioqui leonis, quàm ſtruthiocameli ventriculus validiùs ferrum concoqueret) ſed copia & quantitate. Materia verò non vberior quidem ab alimenti acceſſio (alioqui adoleſcentes febribus diuturnis confecti & exhauſti parciſſiméque cibati non creſcerent, contra omnem experientiæ fidem) nec humor primigenius, vt perperam credit Haru. (Accedit enim is rei conſtituendæ, non

conſtitutæ) ſed ſecundarius, & alimentarius in oſſium cauernulis, muſculorum inanitatibus, &c. deliteſcens, ex cibis & ſanguine pridem ibi collectus, vt etiam hic agnoſcat me pag. 21. docuiſſe vbi lateat illud alimentum, niſi penus illos extra corpus quærat.

Atque is eſt humor nondum perfectam coctionem aſſecutus, quem demonſtrare impoſſibile putabat aduerſarius poſt tot vomitiones & diuturnum calorem febrilem. Qua in re ad ipſum lubens prouoco, qui ſi verum fateri vult, non paucos inter faciendam medicinam ægros occurriſſe teſtabitur, qui graui febre, eaque ex crudis ſuccis putrentibus accenſa correpti per 14. & plures dies eam crudorum humorum copiam vomuerint, cui continendæ corpus totum impar primò viſum erat, ſolo interim exiguo potu vitam tolerare crediti. *Siquidem longiſſimam qui ita ſunt affecti cibi abſtinentiam ferunt*, inquit, Galen. *corpore ſcilicet ex crudis ipſis quos continet, ſuccis concoquendis alto.* Meth. Med. lib. 12. cap. 3. Auctores ſunt mihi grauiſſimi medici, & Galliæ totius celeberrimi viſam Turonij dum ſumma ibi curia pro Rege Chriſtianiſſ. ageret mulierem adductam agro vicino Pruliaco, quæ ſingulis diebus hauſtis vini & aquæ cum pane intrito vncijs circiter ſex mixtorum humorum

totidem ferè libras reijciebat, nihilque toto reliquo die aſſumebat, donec ſequenti die, eodem repetito cramate, eandem humorũ copiam excernebat: in quo opere totos quatuor aut quinque annos continuos perſeueraſſe dicitur.

Cæterum conſumptum omnem eum humorem (qui proinde abſtinentem noſtram amplius alere non potuerit) ex curata paralyſi & aphonia malè colligit Haru. Nam ab vnica cauſa ſi vnus effectus, ſublata cauſa tollitur effectus. At ſi vna cauſa plurium ſit pro organorum varietate, effectuum cauſa; ſublato vno effectu cauſam omnino ſublatam non benè colligas, ſed tantùm peculiarem eius effectus, qui ſublatus eſt, cauſam. Ergo curata paralyſis & aphonia eum tantùm humorem abſumptum arguunt, qui neruos ad laryngem & artus pertinentes obſtruebat, non eum qui per omnes corporis partes alendas fuſus erat.

Neque verò Haruetum ignorare credidi, atrophiæ (quam primam tabis ſpeciem facit Celſus) obſtructionem ſæpiſſimè eſſe cauſam: quæ ſi ei obſcura ſit (vt videtur) erit hac demonſtratione fortaſſe clarior. Norunt peritiores Anatomici hepatis ſubſtantiam nihil aliud eſſe quàm venarũ portæ & cauæ κατ' ἀναστόμωσιν, ſibi inuicem cohærentium contextum, cui puluini loco ac-

Lib. 3. cap. 23.

ceſſit

ceſſit illa ſanguinis affuſio (quam παρέγχυμα Græci vocant) quæ ad hæmatoſin non parum etiam confert. Hanc nos aqua maceratam frequenti colliſione ſæpe diſſolui vidimus integro venularum complexu. Ipſæ autem venulæ, per quas omne debet traduci exportarique alimentum, tenuiſſimæ cum ſint, & anguſtiſſimæ, facilè à quolibet craſſiuſculo & lento ſucco obſtrui poſſunt. Obſtructæ naturalem ſuum ſpiritum & calorem eo humore ita frangi & proteri ſentiunt, vt neque, deinceps laudabilem ſuccum gignant, neque quicquid eſt genitum, in gibbam hepatis partem amandare queant, vnde per vniuerſum corpus diffundi poſſit. Qua ratione ſingulæ corporis partes genio ſuo defraudantur, & ſenſim contabeſcunt, quæ vera eſt atrophiæ idea. Sin aquoſior & tenuior eius ſanguinis portio venas, vt ſæpe fit, peruadat, malum & vitioſum corporis habitum qui καχεξία dicitur, inuehet. Quodcumque verò illud eſt, quod in iecoris compage crudum & lentum ſtabulatur, vel à próprio viſceris calore (quanquam iam non minimùm repreſſo & retuſo) reſoluetur, tenuiori ſaltem ſui parte, reliqua obdureſcente & concreſcente: vel naturali calore extincto & alieno adſcito putreſcet (nam ſuppurare non poteſt ob ineptitudinem mate-



Digitized by Google

riæ) Putreſcere autem à proprio calore quantumuis fracto nedum Chirurgiæ tyrunculus, vt ne tortoris miniſter admittat, qui nouit cadauera ſibi cruce detrahenda, antequam ſuo calore priuata ſint, ne eo pulſo & ambiente introducto putreſcentia, nares illi & cerebrum ſuo odore feriant, & fœtida (quod quidam ait) anima naſum oppugnet. Video tamen aduerſarium pro fracto extinctum ſubſtituiſſe; quàm ingenuè iudicet, qui nouit quantum habitus à priuatione differat.

Cæterùm minus propriè dixit Haru. partes humani corporis, ſimulatque calor natiuus extinguitur, ab humorum vitioſorum copia putreſcere. Nam effectrix putredinis cauſa vnicus Lib 4. Meteo. eſt calor externus, teſte Ariſt. qui putredinem definit φθορὰν τῆς ἐν ἑκάστῳ ὑγρῷ οἰκείας καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος ὑπ' ἀλλοτρίας θερμότητος, id eſt, interitum proprij & naturalis caloris in humore à calore extraneo.

Eadem fide progreſſus præſentis & præteriti temporis geſta confundens, quod de tempore febris quæ abſtinentem noſtrā anttriennium exercebat dictum eſt, *Interea dum nec arte curatam nec natura leuatam*, id eſt, nulla criſi & excretione manifeſta liberatam, refert aduerſarius ad longum poſt tempus, quo ſenſim à fe-

bre & aphonia λύσει quadam & inſenſibili reſolutione vindicata eſt, à paralyſi poſt annos duos integros.

Tertia ratio eſt cum primæ parte ſecunda eadem eſt.

Quarta & vltima non intacta à me, vt imponit Haru. quin potius pro me pugnare pag. 47. oſtenſa. Nam ex capularium & ſilicerniorum ſenum minori & imbecilliori calore inferebam, ijs quibus exiguus calor eſt, exiguo opus eſſe alimento. Quòd ſi cætera in ijs concurrerent, vt aſſeris, non dubito quin omnino abſtinentes viuere poſſent. At præcipuus illis deeſt vitæ fômes humor ſcilicet primigenius; qui quia pauciſſimus ſupereſt, vt lucernæ olei defectu iamiam extinguendæ, alimentum ſubinde offerendum eſt, quo identidem reficiatur. Præterea deeſt & ea habitus denſitas & pororum anguſtia, quam in abſtinente noſtra obſeruauimus. Vniuerſo enim habitu mediocriter calent, & ſudant.

Procul ô procul eſte prophani, ecce à naturalibus cauſis ad τὸ θεῖον quod ante nimium (ait) vitare cupiebam, rapior, ad veneficium, inquam, quod tamen θεῖον & diuinum appellari poſſe non puto. Eo referri poſſe autumat huius abſtinentiæ cauſam, & nihili eſſe quod dictum

eſt, deuorato pomo ab anu porrecto quatuor aut circiter menſes benè habuiſſe puellam, quia veterator Spiritus effectum veneficij occultat, vt nos aliqua ratione fallat. Certè quanquam veneficij etymon eam, quæ per venena corporibus infertur, labem peculiariter notet, qualia erant omnia quibus ſocios mutauit Vlyſſis venefica Circe: tamen hoc nomen ſæpius ad eas, quæ ope & opera dæmonum fiunt, præſtigias referri non neſcio, qui videam ſacram ſcripturam ſæpe meminiſſe fornicationum Ieſabel & veneficiorum eius. Quo ſenſu docta illa apud Apuleium venefica iugulatum Socratem & corde ipſo ſpoliatum, integrum, ſanum, vt videbatur, & incolumem poſtridie exhibuit, vt nuſquam neque vulnus neque cicatrix compareret. Ipſe tamen interea ſpiritu deficiebatur & genua quatiebatur & gradu titubabat. Noſtra abſtinens integra, ſana, & incolumis toto tempore, quo occultum veneficium credi poterat, neque ſpiritu defecta, neque genua quaſſa viſa eſt, neque gradu titubans. Sed quorum operum rationem in natura video, cur ad ignotam & incertam cauſam reuocem? Id ſine ſuperſtitionis periculo fieri poſſe non cenſeo.

4. Reg. cap.

Metam. lib. 2.

Ac verò ſi in phyſicis nobis conſiſtendum ſit, rationes noſtris probabiliores adducere ſeſe

poſſe iactat Haru. Quàm autem rationi ſint conſentaneæ videamus. Ait *omnia viſcera facultati naturali inſeruientia adeò ad vitam hominis eſſe neceſſaria, vt præparent & concoquant materiam, ex qua partes facultati animali inſeruientes nutriantur & conſeruentur.* Per partes autem & ſpiritus animales intelligi vult, quos tamen corporis partes dici non patitur partis definitio. Neque enim ſunt corpora toti cohærentia neque communi vita coniuncta, quamquam ad illius functionem vſumque comparata.

Propriè autē dictæ partes animali facultati inſeruientes ſunt ex ſimilaribus nerui & tendines: ex organicis cerebrum, ſpinalis medulla & muſculi. Quid? ex hiſne ſolis totum corpus conſtat? Oſſibus, membranis, ligamentis, cartilaginibus, venis, arterijs, carni & cuti, eane ſupra cęteras partes dignitas vt ſtare per ſe poſſint, neque nutritione egeant? Vitali & ipſi naturali facultati inſeruientibus partibus organicis, vnde materia, qua nutriantur & conſeruentur? ſi à ſe præparatam materiam non attingunt, ſed eam totam in gratiam animalis facultatis & organorum eius concoquant, concoctam ablegent? Sic vos non vobis.

Profectò non ita eſt, ſed viſcera facultati natu-



Digitized by Google

rali inſeruiētia primùm ſibi, deinde toti reliquo corpori alimenta præparant & concoquunt; vt fusè demonſtrat Galenus 4. de vſu partium.

Quod ſubijcit *quicquid fuit ſanguinis in hepate & vicinis partibus attraxiſſe quibus exhauſtis ipſa viſcerum humida ſubſtantia exſugenti cordi ceſſerit*, naturæ legibus aduerſatur, quæ non patiuntur corporis noſtri patres ſeſe inuicem laniare & diſcerpere. Vbi iam illa harmonia quæ

*Diſſociata locis concordi pace ligauit?*
ſi nunc *Viuitur ex rapto, neque ab hoſpite tutus it hoſpes?*

Reuera res habet, vti dicebamus, humores ſoli, ijque primarij & ſecundarij corpori noſtro alendo ſunt idonei. Quòd ſi ſicca interdum intemperies incidat, quæ in ipſam partium ſubſtantiam graſſari tibi videatur, putes non eam, ſed humorem inſitum, rorem, cambium & gluten, ſecundarios vocatos, quos nondum partes dixeris, abſumi, vnde quatuor ſiccitatis gradus
7. Therap. 6. deducit Galenus noſter.

Ac poſtquam humidam iſtam hepatis ſubſtantiam alendo cordi ſufficere poſſe oſtendit aduerſarius exemplo tortiuorum iurium (quæ pauca quidem quantitate ſingulas partes irrigant, ſed diu ſufficere poſſe non conficit) *hinc*

*poteſt concipi* (inquit) *quàm exigua portione viſcerum ſit opus ad generationem ſpirituum vitalium, naturalium & animalium.* Quid? præter ἐνορμῶντα non ſunt in corpore ἴσχοντα καὶ ἰσχόμενα, quæ generatione illa non minus incommodè priuari poſſent? Ex his colligat, quàm feliciùs cauſas ſuas ſtabilierit, & ſcopum à quo abeſſe me ſcribit, attigerit.

CÆTERVM qui ſemper laudandos clarorum virorum in quacunque arte illuſtranda conatus iudicaui, neque vnquam temerè oppugnandos, qui nobis iecere fundamenta Sapientiæ, haud grauatè L. Iouberti viri de vniuerſa medicina benè meriti apologiam in re mihi comperta ſuſceperam. Haruetus Iouberto-maſtix eam nuper edita confutatione nititur eludere: quibus machinis expendamus.

Ac propoſitas quidem de caloris natiui & primigenij humoris hypotheſes euertere conatur, vitamque vno calore contineri negat, quia *ſolius*, inquit, *caloris nunquam mentionem fecit Ariſtoteles, nec cæteri Philoſophi.* Inuitus cogor integrum philoſophi textum apponere, vnde colligat lector Iouberti fidem in citando Ariſtotele καὶ γὰρ αὐτὸ φαίνεται μόνον, πῦρ, τῶν σωμάτων ἢ τῶν στοιχείων τρεφόμενον, καὶ αὐξανόμενον, id eſt, Ipſe namque Lib. 2. de an. cap. 4.

Digitized by Google

ſolus corporum aut elementorum nutriri ac augeri videtur. Vſus autem eſt hoc loco voce πυρὸς; vice θερμοῦ, vt alibi. Πυρὶ γὰρ ἐργάζεται πάντα. Anima igne (id eſt calore) conficit omnia. Nam de calore noſtro natiuo vt animæ organo ex profeſſo vtrobique agit. Cæteris nunc philoſophis an inuſitata hæc vox videamus. Si noſtro Galeno philoſophi nomen non deneget, cuius tot extant philoſophici libri multoque plures periere, ſolius nomen in hoc ſenſu vſurpatum, addiſcet qui lib: de vſu reſpirationis inquit βλαπτομένης τῆς θερμασίας μόνης ἐξ ἀνάγκης ὁ θάνατός ἐστι τοῖς ζώοις, id eſt, læſo calore ſolo mortem animantibus contingere neceſſe eſt. Quòd ſi non ſatis philoſophus tibi videatur Galenus, agnoſces forte ſummum poſt Ariſtotelem philoſophum Albertum, qui inde nomen magni adeptus eſt. Calor ſolus (inquit) operatur ad formam introducendam in omnibus compoſitis: ſed frigus ad conſtantiam partium materiæ ne diſſoluantur à calore.

De ſpirat.

cap. vlt.

In 4. Meteo. tra. 1. cap 4.

***Ergo***, inquit, ***Haruetus, hominem ſine ſpiritibus animalibus ſolo calore, viuere poſſe, probare debuiſtis***. Non debuit Ioubertus, qui in humido primigenio ſpiritum calore perfuſum primum & per ſe conſidere profeſſus eſt, qui ſciret noſtrum innatum calorem non eſſe merum accidens,

cidens, cui quidquam contrarium ſit, ſed ſubſtantiam æthercam, tenuiſſimam, calidiſſimam, quam etiam ſpiritum iure dicimus. Nam etſi varia eſt caloris natiui & ſpiritus ratio, vt ille concoquere & diſtribuere dicatur, hic viuificare, pulſum, motum, ſenſumque perficere; vna tamen eſt vtriuſque ſubſtantia.

Ne quidem ego hominem ſine ſpiritibus viuere poſſe probare debui, cui cum Ariſtotele ***id quod calor vocatur non ignem neque talem aliquam facultatem, ſed ſpiritum eſſe recipio,*** Galenum noſtrum imitatus qui illud Hippocratis ἔμφυτον θερμὸν idipſum teſtatur, quod in quoque animantium & natiuum ſpiritum dicimus, & de quo Ariſtoteles ſcriptum reliquit. Lib. 5. de ſimpl. fa. cap. 8.

Nec verò nos vitam calore definire poſſe repetit Haruetus, etiamſi mors eius extinctione deſcribatur, quia, inquit, vita & mors non contrariè ſed priuatiuè opponuntur, eaque eſt priuationis natura, vt ſi fuerit alicuius partis neceſſariæ, ***rem totam deſtruat, ac proinde non ſequi per id ſolum quod priuationi opponitur rem ſubſiſtere.*** Quam rationem à me prætermiſſam queritur. Eam igitur quoniam ita libet, ad incudem reuocemus & aduerſus ipſum aduerſarium retorqueamus. Ac primùm negamus vitam & mortem ex priuantium genere



Digitized by Google

5. Metap. cap. 10. eſſe. Conſtituunt enim, teſte Ariſtot. alteram oppoſitorum ſpeciem, quam eorum facit ex quibus & in quæ vltima vt ortus, inquit, & interitus. Sed & priuantia eſſe admittamus, ea priuationis eſt natura vt ſi fuerit alicuius partis neceſſariæ rem totam deſtruat. Ergo per id ſolum quod priuationi opponitur, rem ſubſiſtere non ſequitur. At quod priuationi opponitur eſt habitus. Habitus autem adſtruit, vt priuatio deſtruit. Ergo ſi mors eſt priuatio & abſentia caloris, quæ pars erat ad vitam neceſſaria, ſequetur vtique vitam eſſe caloris habitum & præſentiam. Calorem ideò vocat Ariſtoteles τῆς ζωῆς κοινωνοῦ, id eſt, vitæ ſocium. De ſpira.

Quod ait, vitæ definitionem fruſtrà traditam, quia non hominis, ſed animantis eſt propria, hominis eſt non benè animati. Fruſtra traditur quod nullius eſt vſus. At ſi ſpecificam differentiam huic definitioni addideris, maximè propriam homini efficies. Si igitur vita rectè definitur manſio & perſeuerantia animæ in calido, quæ communis omnibus animantibus intelligitur, homini peculiariter conueniet ſi, animæ, addideris, rationalis. Non ergo fruſtra, ſed generaliùs traditam dicere debuerat, quanquam nec inde calidi natiui energiæ detrahere quidquam poterat.

Digitized by Google

Cum autem calorem proximum eſſe animæ inſtrumentum ſæpius dixiſſem, non erat quòd cauillaretur Haruetus à me tanquam præcipuam vitæ cauſam ſtatutum, qui ſatis videret pro cauſa ſine qua non & inſtrumentali poſitum. Primam vero & potiſſimam vitæ cauſam alterius inſtrumenti temperiei ſcilicet reſpectu conſtitutum.

Ariſtoteles ſeſe vnicuique ſatisfeciſſe crediderat allata ſuperiori vitæ definitione. Subijcit enim. *Atque quid vita ſit & mors, &c. dictum eſt.* Vni non ſatisfecit Harueto, qui μονὴν, id eſt, manſionem ſeu perſeuerantiam animæ non eſſe idoneum genus definiendæ vitæ, ſed tantùm conditionem ſine qua non ſcribit. Qui didicerit ex Galeno διαμονὴν conſtantem eſ- De ſymptom. diffeſe & permanentem actum, quem etiam ipſe fer. Galen. eundem cùm τὸ εἶναι facit, non alienum genus agnoſcet τῆς μονῆς nomen quod permanentiam ſiue ſubſiſtentiam propriè loco ſignificat, vt ex alio Ariſtotelis loco clariùs colligas Lib. 2. de an. cap. 4. vbi τὸ ζῆν definit τοῖς ζῶσι τὸ εἶναι. Non eſt igitur μονὴ ſimplex conditio ſine qua non, ſed genus vitæ eſſentiam atque naturã omnino complectens, ad ſubſtantiæ categoriam primò & per ſe, non reductiuè, pertinens. Hactenus Ariſtotelis integrũ vitæ genus. Quam illud Harueti videamus.

Ariſt. lib. 1. de an c. 1.

Vitam eſſe animæ actionem vetat animæ definitio. Nam poſtquam anima definita eſt *perfectio corporis organici*, ſubijcit philoſophus, *potentia vitam habentis* quaſi non anima, ſed corpus propriè vitam habere dicatur. Probat enim Ariſtot. hoc vitam habens non eſſe animam, quia anima eſt in ſubiecto. At quodcunque vitam habet, nõ eſſe in ſubiecto, ſed ipſum potiùs ſubiectum eſſe neceſſe eſt. Corpus igitur eſt, quod vitam habet, ab anima quidem, in qua tamen vita non eſt, vt à ſole calorem, qui in eo non eſt, habere dicimur.

Quare vtraque tum efficiens, tum materialis cauſa vitæ eſſentiam complet: neque anima ſola, neque corpus ſolum viuere propriè dicitur, ſed compoſitum.

Nec ſi vita ſit actio, à corpore ſeparata viuet anima, quæ nullam tunc habet actionem, nec inſtrumenta per quæ agat.

Secundò actionis actionem eſſe abſurdum fateri non vult, niſi probauero abſurdũ eſſe ſummà genera in ſuas ſpecies diuidi. At hac probatione liberor, ſi priùs ſpecies ſummorum generum effectus eſſe mihi demonſtrari velim, vt actionis actionem effectum eſſe oporteret. Deinde ſi animalem actionem, quam exempli gratia adducit, loquendi & eundi actionis cau-

ſam eſſe mihi adhuc quæram probari. Nam vt actionis ſit actio, altera alterius ſit cauſa neceſſe eſt, neque enim agit quidquam niſi per cauſam. At omnis actionis cauſa eſt ſubſtantia, cuius ſolius vi accidens agere poteſt. Oporteret itaque animalem actionem eſſe ſubſtantiam & per conſequens ſummam ſummorum generum eſſe confuſionem.

Tertiò rationalem animam, qua rationalem, negabam corporis nutritioni inſeruire. *Rectè*, inquit aduerſ. *ſi qua rationalis mea eſſet additio. Ergo fruſtra cum ſit Citeſij.* Fruſtra quidē, inquam ego, ſi aliquando anima rationalis ratione carere poteſt. Ergo ἐν τῷ λογικῷ ἄλογόν τι conſtituit Haru. Ergo non eſt anima irrationalis brutis ſpecifica vt volebat, ſi & homini communis.

Quartò vitam actum quidem dici poſſe non actionem oſtenderam ex Iulio Cæſ. Scaligero à quo exprobrat mutuatas cum hac priores duas rationes. Certè nunquam me pudebit fateri per quos profecerim, per eum præſertim diuinum virum, quem ſemper oraculi loco habui, cuius verba mero melle ſuauiora & quibus nulla ſignificantiora videbantur, mutare viſum nefas. Non neſcio plæroſque plagiarios alienos labores mutatis ſignis pro ſuis oſtentare. Bonæ

fidei creditor eadem facie repoſui.

Ambiguum verò actus nomen apud Scaligerum legi: Sed actionem pro actu, & actum pro actione dici poſſe inde non collegi. Nam omne ambiguum antequam deſcribatur diſtingui debet. Itaque ſtatim ipſe ita actum ab actione diſtinguit vt actus forma ſit, actio eius opus: quominus animæ perfectio in actione conſiſtere poteſt, vt vult Har. quinimo agendi potentia & facultate multò nobilior eſt, vtpote in cuius poteſtate ſint omnes functiones: ideóque definita eſt, vt ſupra dicebamus, entelecheia, ſiue perfectio corporis potentia viuentis, quaſi in poteſtate viuentes ſint animales actiones à quibus interdum per ſomnum quieſcens actu viuere non putatur Budæo. Hinc obſeruat Porphyrius differentias & proprietates, etiamſi ſemper ijs conuenire intelligantur, quibus attribuuntur, vt homini ratiocinatio & riſus, non tamen ſemper actu adeſſe ( nec enim ſemper ratiocinatur homo, nec ſemper ridet ) ſed eorum tantùm aptitudinem & poteſtatem, quæ in tota ſpecie actu haberi non poteſt, ſed in indiuiduis ſolùm, quorum cum non ſit ſcientia facultates omnes in potentia cõſiderat philoſophus. Vnde ſoluitur vitæ illius œconomicæ definitio ( nondũ enim de politica philoſophus )

Lib. 1. de aſſe.

quæ è potentia in actum educta & cum iam non θεωρητικὴ, ſed tota πρακτικὴ ſit, in ſingularibus etiam 'eſt, quorum non eſt certa definitaque ratio, proinde inſtituto noſtro accommodari non poteſt. Adducta ex 2. Ethicôn autoritas vitam animæ effectum eſſe docet, quod nos iampridem profeſſi ſumus.

Manca verò ratiocinatio eſt hæc: Vita vegetatiua ab actione vegetatiua quæ primo elucet, dicitur, quemadmodum animalis & rationalis ab actione animali & rationali. ***Rectè igitur***, inquit, ***vitam definiui per actionem quæ hanc triplicem vitam continet***. Rectè igitur, inquam ego, anima motus & ſenſus dicetur, quia ab ea primùm motus & ſenſus perficitur. Nugæ.

Poſtquam ex iſtis argutiarum ſenticetis euaſimus Ioubertum ipſum cum Harueto componamus, vt in poſteriori demonſtrationis ſuæ fundamento cum aduerſario conuenire probemus. Ille alimenti vſum non alia de cauſa neceſſarium videri ſcripſerat niſi vt humidum illud innatum (caloris vitalis pabulum familiare & verè vnicum) ne tam citò abſorberetur, foueret. Contendit Haruetus alimentum non modò ad humidi primigenij reſtaurationem neceſſarium eſſe: verùm & ad generationem ſpirituum vitalium & animalium, qui vulgò

influentes dicuntur nulla hic repugnantia ſi vtriuſque mentem attendas. Nam Ioubertus ſolum vitæ caloris & inſiti ſpiritus ſubiectum humidum ſcilicet primigenium alimentorum vſu foueri vult primò & per ſe. Quos addit Haruetus etiam influẽtes ſpiritus eorumdẽ alimentorum acceſſione foueri & generari, id fit tantùm per accidens, quod κατὰ πρῶτον σκόπον ad humidi primigenij inſtaurationem refertur. Nam influentium ſpirituum is vnus eſt vſus, vt calorem & ſpiritum inſitum humidi primigenij ſubſtantiam conſeruent, & ne tam citò diſſoluatur influxu ſuo prohibeãt. Quemadmodum enim Sol primò creatus dicitur, vt terram illuminaret, ipſo tamen etiam aëre illuſtrato, velut idoneo luminis vehiculo, ad illuſtrandam terram vtitur: ſic alimentum primò humidi primigenij inſtaurationi dicatum ſpiritus etiam ipſos influentes tenuiori ſui ſubſtantia fouet & recreat, per quos, veluti fideles internuncios, vitam & nutritionem natura duce, ſingulis partibus confert. Vnde humidi primigenij & influentium ſpirituum tantum conſenſum colligas, qui etiam ipſi Galeno hanc ſententiam expreſſerit, *Nihil prohibet*, inquit, *ſanguineam ſubſtantiam ſimulque aëream vna cum ſpiritu calidum inaudire innatum*, vt per humidum

Lib. 5. de ſimpl. fac. cap. 9.

dum primigenium ſpiritus etiam influentes latiori licet ſignificato intelligi aliquando poſſe negare deſinas.

Aduerſus 14. Hippocr. aphor. recens natum puerum proponere non debuiſti, quia prima partus die non ſolum eſt θερμότατος ſed etiam ὑγρότατος, καὶ ὑγρὸς ἱκανῶς ὥσπερ βρύον ait Gal. adeo vt puellus iſte magis propter ineptitudinem organorum ( ventriculi præſertim tùm inſueti, tùm propter mollem laxamque ſuam ſubſtantiam ciborum incontinentis ) quàm propter agentis imbecillitatem alimento pleniore carere poſſit. At ex ipſa, inquis, conſumptione alimẽti quantitas metienda. Quis verò iſtius conſumptionis autor & effector, niſi calor? ex cuius copia aut paucitate copioſo aut pauco alimento corpora indigere pro Ioubertо non immeritò, nec perperam, vt putat Haru. defendimus. Atque iterum pedem referre, crambemque recoctam apponere cogit Haru. quærens quomodo humor pituitoſus in abſtinentium corpore ſuperans & redundans in plures annos ſufficere poſſit. Priùs tamen ſibi demonſtrari vult, de eo excremento quod ſua natura ſit alimentum eſſe Ioubertum loquutum, quod expreſſis his verbis ſatis patet. *Humores ij ſunt pituitoſi dulceſque & caloris conueniens alimonia, ſi magis*

Par. 2. dec. 1. *elaborentur. Nam pituitam caloris opera in venis perfici, per moram concoqui & in laudatum ſanguinem tranſire docent medici. Eſt enim phlegma ſanguis diminutè coctus, &c.*

Pituitam verò per totum corporis habitum diffuſam eſſe eiuſdem naturæ cum pituita alimentaria quæ in venis continetur & ſanguinis partem conſtituit, à nobis probari vult. Ac eam quidem cum ventriculi pituita eandem ex ipſo Iouberto recipit. At quæ in ventriculo generatur cum humoribus qui ex cibo & potu in iecur diſtribuuntur perfertur, vbi cum ijs vna concoquitur & ſanguis euadit, vt libello de atra bile oſtendit Gal. Quæ autem gradu tantùm differunt ſpeciei & naturæ ſunt eiuſdem. Sed ad penſum. Pituitoſum igitur humorem in plures annos ſufficere poſſe ex tua conficimus demon- In lib. aph. 17. ſtratione. *Alimenti quantitatem*, (cum Gal. inquiebas) *eius quod corporis perſpiratu diſsipatur quantitati proportione reſpondere oportet*. Nam ſi multum diffluit multum reponendum, ſi paucum, paucum. Si verò nihil effluat nulla alimenti futura eſt neceſſitas. Effluuium In 7. aph. 59. autem fit autore Gal. duabus ex cauſis externa vna aëre ambiente, interna altera calore natiuo. Inde eſt quòd pituitæ in frigido corpore ſtabulantis nihil, aut certè pauciſſimum eſt quod

reſoluitur, quia nec externo calore nec interno ( qui illi per ſe nullus) adeò incaleſcere poteſt, vt diſſolutioni apta reddatur. Quàm diutiſſimè igitur maneat neceſſe eſt antequam tota exhauſta ſit.

Eam autem putrere debere multominus colligere poteſt Harū. cùm omnia putrentia calida & humida fieri neceſſe ſit. Itaque hic non inuitus audiat Fernelium, quem poſtea tam libenter amplectitur. Is ſcribit *febrem quotidianam omnium eſſe rariſſimam, & quæ vix ex ſexcentis vna obtingit:* quia ex pituita accendi creditur, *quæ tamen rariſſimè putreſcit, vixque eam putredine qualitatem conſequitur, quæ febris eſſentiam compleat.* Ideóque cum laborans quotidie febre conflictatur id ferè à duplici tertiana fieri monet. Idem ferè de ſenibus ſcribit Gal. in quibus pituitoſus humor plurimus quidem eſt, inquit, verùm propter ætatis frigiditatem febres non accendit.

Lib. de feb. cap. 11.

In lib. 5. aph. 30.

Quod de cæteris humoribus non difflatis & ideo putreſcentibus ſubijcit, vnde ipſa etiam pituita contagione corrumpatur, vim faceret, niſi tam exigua eorum copia cordis & arteriarum pulſatione, tantuláque ( quam memorabam ) tranſpiratione ſatis perſpirare viderentur.

Hydropicorum quàm ieiunantium cur ma-

gis ſalſa ſit pituita prætereà hic quærit Haru. Si credit Galeno ſalſedinis cauſam agnoſcet tum putredinem, tum ſalſæ ſeroſæ humiditatis (quæ in ieiunantibus parciſſima eſt) permixtionem.

At verò vt contra Ioubertum tandem aliquid promoueret, firmis rationibus oſtendere debuerat, humorem pituitoſum qui in ventriculo continetur nutrire non poſſe, ac non doctiſſimi Fernelij obtentu Galeni vnius poſt Hippo. medicinæ parentis demonſtrationibus illudere. Nam de hac excremẽtitia vtili ne verbum quidem Fernelius: immo ne quidem, cum pituitæ excrementitiæ ſpecies enumeraret, dulcem illis annumerauit, quam cum naturali inſipida malè confundit, contra Galeni doctrinam, qui ita pituitæ differentias attingit. Pituita omnis eſt naturalis aut nonnaturalis: Naturalis eſt pituita inſipida: non naturalis verò triplex eſt ſcilicet acida, dulcis, ſalſa. Generationis modum alio loco diſertè explicat. Apparet, inquit, pituita omnis qualitatis expers veluti aqua: verùm naturali qualitate mutata non modò ſalſa, ſed acida etiam fit. Quin & non raro dulcem qualitatem acquirit. Nec verò quamlibet dulcem pituitam alere ſufficiebat negare, ſed antea ſoluendus erat ille Galeni locus. Pituitæ quod dulce eſt id ſalutare eſt animanti & naturale.

Lib. de humor.

De atrabile.

Lib. 2. de nat. fa.

Humorem porro pituitoſum in ventriculo contentum nutriro poſſe hac demonſtratione conficiebat idem autor. *Pituitoſo humori ex pituitoſis cibis in prima id eſt ventriculi concoctione facto nullum peculiare conceſſum inſtrumentum vt bili & ſero vtraque veſica, melancholico humori lien; quia per inedias in alimentum cedere debet. Quod enim in ventriculo generatur ac cum humoribus qui ex cibo & potu in iecur digeruntur perfertur dum cum iis vna concoquitur ſanguis euadit. Quod autem in regionibus ventriculi eſt reliquum à defluente ex iecinore in ipſas bile deterſum per inferiorem ventrem egeritur.* Aut igitur Galeno credat Haru. aut patiatur me Galeni ſententiam ſuæ anteponere. Lib. de atrabile.

Concoctionis excrementorum finem non neſcio eſſe expulſionem: ſed excrementorum vtilium tenuiorem partem in partis alimentum faceſſere non dubito: quod videtur ſubnotare Philoſophus cum ait, *ſi quid excrementi ſit, quanquam diuerſum à natura, tamen id quoque principium habere vitale.* De gen an lib. 2. cap 3.

Nunquámne reponam? In eodémne luto verſari me coget Haru. ſed ſequar oportet quo me trahit: ad fallacias, inquam, & ſophiſticas argumentationes. Nam quæ à me κατὰ τὸ de qui-

buſdam animantibus ſunt propoſita, ea quaſi purè & ſimpliciter de omnibus dicta accipit, atque à particulari ad vniuerſale captioſè tranſcendit. Quædam dixi animalia propter certas cauſas ſine cibo viuere. Quoſdam igitur homines, in quibus eædem omnino cauſæ ſubeſſent, ſine cibo viuere poſſe, propter varias, quæ in communi nutriendi facultate, ex organorum vitio, accidunt, mutationes. Vnde cuiuis ſatis conſtare poteſt quàm candidè quærat in vniuerſum Haruetus: *Sítne animantis propietas plures menſes ſine alimento viuere?* Interea in Harueti verbis næuum celare non poſſum, cum alias eſſe proprietates genericas, alias ſpecificas ſcribit. Nam omnes ſpecificæ ſunt, quod ex Porphyrio olim didicimus, qui proprium ſcribit ex principijs eſſentiæ ſpeciei profluere, nec de genere vnquam, ſed de ſpecie tantùm dici. Nam de genere, vt genus eſt, nihil prædicatur. Reſpicit enim tantùm inferiora de quibus dicitur. Quas igitur proprietates genericas appellat, differentias dicere debuerat, quæ rei naturam attingunt proprium non item. In ſenſu igitur & nutritione, quæ ſunt animalis tanquam generis differentiæ diuiſiuæ conueniunt eius ſpecies brutum & homo. Rationis verò vſu, ſpecifica ſcilicet & conſtituente hominis diffe-

rentia, homo tanquam animalis pars, à bellua rationis experte ſeiungitur. Principes igitur vtriuſque facultates ſpecificè à ſe inuicem differunt. Nam pro humana ratione appetitũ quemdam belluæ ſortitæ ſunt. Vegetantes autem ſeu nutrientes, & earum organum calor (quæ habet, vt animal, non vt homo) communes illi cum belluis ſunt, vt diſputat Ariſt. lib. 2. de anima c. 4. quod etiam inuitus cogitur agnoſcere ipſe Haruetus, qui Lucomoros illos quos ſcripſeram per totam hyemem ſomno teneri vita ſolùm vegetatiua viuere concedit.

Ex qua ſimilitudine (peculiari illa idioſyncraſia iuncta) tanquam cauſa effectum de quo quæſtio mota eſt in quibuſdam indiuiduis, non in tota hominũ ſpecie, colligimus quoſdamque homines eo caloris gradu & ea humoris pituitoſi copia, qua diximus, donatos diu ſine cibo viuere poſſe, alios quidem per plures menſes, alios per annos, pro agentis robore ac materiæ copia & reſiſtentia: quo ſenſu dixiſſe videtur Hippocrates ἀποσχόμενος ὁ ἄνθρωπος καὶ σιτίων καὶ ποτῶν δύναται αὖ ἡμέρας δύο καὶ τρεῖς καὶ πλείονας διάγειν. id eſt ſi cibis & potionibus quis abſtineat duos tamen & tres vel plures dies vitam ducere poteſt. De flatib.

Et quia inuitus videtur aduerſarius concedere vera eſſe quæ de hirundinibus & cæteris

ex Ariſtotelẽ narrauimus, faciet fortaſſe V. C. F. Amboſij libellorum ſupplicum magiſtri autoritas vt lubentiùs agnoſcat. Eius eſt ad Carolum 9. Galliarum Regem carmen ſequens.

*Hæc ego Sarmaticis miracula digna notatu*
*Dum verſor regnis, oculorum ſenſibus hauſi*
*Carole Rex, quòd primo algenti frigore brumæ*
*Impatiens Boreæ ſocias circumplicat alas*
*Mutua in obſequij conſpirans fœdera, ſéque*
*Vel ſtagni, vel fortè lacus demergit in ima,*
*Atque ibi, nil Cereris, nil aëris indiga, plumis*
*Horrentem induitur glaciem & concreſcit hirundo:*
*Deinde vbi iucũdi redeũt noua tempora veris,*
*Extat aquis iterũ: atque amiſſã pectore vitã*
*Quæritat, & ſicco iam ſicca in margine ludit.*
*Quòd ſi quis ſtagni fundum rimatus, & illam*
*Torpentẽ inueniens hypocauſto admouerit, illa*
*Reſpirat, viuit, ſéque illinc proripit alis.*

Homini verò quis primùm cibus fuerit ex Gen. 1. docueram. Diſſimulauit Haru. *atque id ait non ex Hippocrate aut poëtarum commentis* (quod tamen erat primùm ab eo præſtitũ) *verum ex Moſis ſcriptis diſcendum, qui docet primos parentes terram arauiſſe atque coluiſſe, vſumque carnium ipſi Noë vitis inuentori atque eius poſteritati conceſſum.* Ex citato igitur

tur à me loco plantarum & arborum fructus in æquam hominum atque cæterarum animantium eſcam fuiſſe didiciſſe debuerat. Et quia notatus erat tantùm, non integer adpoſitus locus, non vidiſſe finxit Haru. Aſcribam igitur. *Ecce dedi vobis* (dicit Dominus) *omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli & vniuerſis quæ mouentur in terra & in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum.* Introductus autem longo poſt tempore frugum, vini & carnium vſus. Nam ab Adami creatione ad Noë ex arca deſcenſum, quo cœpit hic exercere terram & plantare vineam, anni 1656. numerantur. Primi igitur parentis nomine paulò negligentiùs à te Noë deſignatus. Ex his apparet non præter rem de terræ optimæ parentis laudibus ſubiectam à me digreſſionem, cui & hanc Pythagoræ parænesin ſuccenturiatam velim. Geneſ. 1.

*Parcite mortales dapibus temerare nefandis* Metam. 15.
*Corpora; ſunt fruges, ſunt deducentia ramos*
*Pondere poma ſuo, tumidaque in vitibus vua.*
*Sunt herbæ dulces, ſunt qui miteſcere flamma*
*Mollirique queant, nec vobis lacteus humor*



Digitized by Google

*Eripitur, nec mella thymi redolentia flore.*
*Prodiga diuitias, alimentáque mitia tellus*
*Suggerit, atque epulas ſine cæde & ſanguine*
*præbet.*

De ſerpentis nutritione quæ ſcripſeram tribus abſurdis abſurdè notat Haruetus, qui primùm ſolam terram ſerpenti pro alimento eſſe contendit. Obijcio experientiam quæ nobis ipſos exibet bufonibus & alijs animalculis plenos. Opponit Haruetus S. Scripturæ locum vbi dictum eſt Dæmoni. *Terrā comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, quod vult Har. noſtris ſerpentibus tribui. Hoc demùm nego, & non minus allegoricè Dæmonem vocatum ſerpentē aſſero, quàm impios alibi viperarum progeniem. Atque prioris illius loci literalem ſenſum amplexurum me bona fide ſpondeo cum ille poſterioris. An cum
Math. 19. legit Haruetus *eſſe Eunuchos qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum*, exiſtimat eos ſibi reipſa teſtes amputandos (vt olim Ori-
Pſal. 77. genes) curauiſſe? Itaque *aperiam in parabolis os meum* dicit Dominus, *loquar ænigmata antiqua: & in Euang. ſine parabolis non loquebatur eis. Nec mirandum quòd ſermo diuinus Prophetarum Apoſtolorúmque ore prolatus ab vſitato illo hominibus ſcribendi modo multùm receſſerit* (inquit Eucherius Lugdunenſis

olim Archiepiſcopus) *facilia in promptu habens, magna in interioribus ſuis continens, quia & re vera fuit congruum, vt ſacra Dei dicta à cæteris ſcriptis, ſicut merito, ita & ſpecie diſcernerentur, ne illa cæleſtium arcanorum dignitas paſſim atque indiſcretè cunctis pateret, ſanctúmque canibus & margaritas porcis exponeret.* Obſcurior igitur S. ſcriptura eſt quàm videatur Harueto. *Scripta enim ex vtraque parte* Exod. cap. 32. *intus & foris* Apoc. 5. Quare *hæc in palam facies verba, & hæc abſcondes* dicit Dominus 4. Eſdr. cap. 14. Itaque per alium interdùm, quàm per literalem ſenſum intelligenda, eumque non hominum, ſed Eccleſiæ iudicio confirmatum. *Hanc qui non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*, vt pote quæ promiſſum ſpiritum veritatis Ioan. 16. acceperit Act. 2. Ipſa autem eſt quæ D. Auguſtini ſcripta non ſolùm probauit, ſed & Chriſtianæ doctrinæ columina ſtatuit. Math. 18.

Primum igitur abſurdum hac iam depulſione ſatis infirmatum videtur. Nec enim Ariſtotelis autoritatem S. ſcripturæ (alteri noſtrûm omnium poſt naufragium tabulæ) antepoſui, qui ante omnia S. pag. locum anguium noſtrorum genus tangere negaui.

Secundò terram ſimplex elementum dixi mo-

re phyſici, qualis occurrit eam ponentis, non metaphyſici puram in centro meditantis. Nam ipſe Ariſtoteles cuius hic locus eſt, negat ex ea ipſamet, quæ occurrit, terra quicquam ali. Ipſæ ſtirpes, inquit, ex vnico elemento hoc eſt ex aqua victũ petere videri poſſent, ſed terra aquæ commiſta eſt. Quamobrẽ culturæ etiam agrorum ſtudioſi permiſtione facta irrigant, &c.

De gen. lib. 2. cap. 8.

Tertiò contradictionem notas in eo quod auem paradiſi aëre ſolo aut vapore ex inſulis elato veſci, Rhintacen vento atque rore nutriri, pyrauſtam ſolo caloris exceſſu, quæ omnia terra multò ſimpliciora ſunt. At auem paradiſi aëre ſolo nutriri non aſſerui ſed concreto & cum vaporibus aromaticis mixto. Ros quo Rhintaces viuit mixtum eſt corpus quanquam imperfectè mixtum. Calor quo pyrauſta fouetur non alimentum illi eſt, ſed qualitas qua delectatur. At cogeris, inquis, ad ſupremam confugere poteſtatem cum qui Manucodiatæ aërem pro cibo dedit, concretionem etiam aëream ad cibum dare potuiſſe ſcribis. Fœlix certè refugium quia non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. *Potuit ſi voluit*, inquis. *At voluiſſe probare debes*. Dico tibi potuiſſe & voluiſſe, quia dedit.

S. ſcripturæ teſtimonium quæris. Omnium

auium in aëre degentium communis erit hæc diuini vatis ſententia. *Pſallite Deo,* inquit *qui dat eſcam pullis coruorum inuocantibus eum:* Pſal. 146. vbi pulli coruorum implumes à matribus ſiue quia candidi, ſiue ingenita crudelitate deſerti, Deum quaſi nutritorem frequenti pipitu inuocant & inclamant, qui dat eis eſcam, cœli ſcilicet rorem. Nec enim alia eſca cogitari poteſt, quæ in nidos longè à terra diſſitos incidere vel influere queat. At quid eſt aliud ros, quàm concretus & condenſatus in aëre vapor?

Habeo tandem confitentem Haru. Somno namque corpus crudis humoribus refertum (quale noſtrorum omnium abſtinentium) humectari, vacuum & ieiunium ſiccari atque attenuari copioſiſſimè diſſerit. Verùm cum ait *nunquam me probaturum longo ſomno non euacuari corpus niſi prius demonſtrauero à ſomno calorem impediri quo minus agat*, cur hanc mihi prouinciam imponit, qui id à me negatum nunquam oſtendat? Nam omnia animalia poſt concoctos per hyemem humores crudos ciborum vſum repetiiſſe demonſtraui. Sed caloris per ſomnum actionem non eſſe eam exſiccationem, quam prædicat, pernego. Tantum enim abeſt, vt ignis modo natiuus calor exſiccet, vt contrà eò magis humectet quo au-

ctior eſt. Nam ex ſuccis qui intro continentur per ſomnum laudabilior fit nutritio. Ita fit vt ſemper humectet ſomnus, quãdiu ij ſuppetunt.

Hinc tamen ſcribit *me non videre ſequi fruſtra & à Ioub. & à me horum dormientium induci exempla quandoquidem non ſit inter nos quæſtio de dormientibus ſed vigilantibus in quibus non otioſus eſt calor.* At non meminit ſtatutum à ſe calorem per ſomnum vegetiorem, vnde illa colliquatio carnium de qua agebat. Quare à maiori ad minus: Si dormientia animalia multò intus calidiora alimento interno coquendo tandiu inſiſtunt, atque externo interea facilè carent alimento: multò magis vigilantia quibus remiſſior eſt calor & facultas naturalis imbecillior.

Atque iterum iterumque crudior Harueto videtur pituitoſus hic humor (de quo ſæpius) quàm vt eum concoqui credat, nedum colicum dolorem imminentemque apoplexiã non creare queat: multominus quod reſponderam pituitam eſſe proprium cerebri excrementum, quod non niſi ſpiritu impellente aut vapore in illius ventriculos irrumpere ſolet. Quod reſponſum duobus abſurdis notat aduerſ. Primo *quòd excrementum licet partis proprium, ſi diutius quàm par ſit, & etiam abundantiùs*

*in parte moretur lædere non deſinat: quia vnicuique parti expultrix facultas indita eſt, vt expellat & excernat partis excrementa quæ ſi non excernantur partem lædere neceſſe eſt.* Secundo quòd reſponſione mea apoplexiam à ventriculorum tantùm non etiam retis admirabilis obſtructione contra Fernelium fieri velim, cum præter eam inſuper & alia ex nimia cerebri humectatione excitari queat. Primum ita depello vt excrementa partium cerebri potiſſimùm propria ſua habere emunctoria profitear, per quæ facultatis expultricis vi, quandiu corpus ſecundum naturam habet, ſenſim nec tamen ſine ſpiritus (qui illius inſtrumentum eſt) impetu ſecernuntur. Vbi quauis de cauſâ aliquandiu ſuppreſſa ſunt non niſi valido ſpiritu aut flatu impellente confertim & repente excerni poſſunt, vt in apoplexia fieri volumus: quæ eſt noſtri Hippocratis toto libello de flatibus doctrina vnde ἐνώρμωντα πνεύματα alio loco vocat idem autor. Spiritus procellarum quæ 6. Epid.
faciunt verbum eius Pſal. 145. Αἱ δὲ ἀποπληξίαι γίνον- ſect. 8. aph. 19.
ται καὶ αὗται διὰ τὰς φύσας, id eſt, Apoplexiæ fiunt ab ipſo flatu, vt poſtea adpoſita demonſtratione amplius probat.

Poſterius tuum, Haruete, abſurdum nullius eſſe momenti hinc etiam ipſe colligas, quòd de.

pituitoſa apoplexia ſermonem nobis eſſe debebas meminiſſe, quam non eſt difficile demonſtrare tantùm fieri cum ventriculi cerebri ab excremento pituitoſo obſtruuntur. Omnis enim apoplexia fit cum facultas animalis in partes capite inferiores influere repentina obſtructione prohibetur. Pituitoſus autem humor ſegnior eſt, quàm vt repente vaſa anguſta obſtruere, repente etiam, vt ſæpe fit, diſcuti poſſit. In maiores igitur cauitates quales ſunt ventriculi, influere neceſſe eſt, quæ illam faciliùs excipere, faciliùs excutere poſſint: quæ eſt ratiocinatio Gal. lib.3. de ſymptomatum cauſis, qua intemperiem apoplexiam creare non poſſe demonſtrat.

Fernelium tamen opponis & rationem. Illum video; hanc non aſſequor. De Fernelio nihil dicam (præter elogium à me ſupra tributum) niſi malle me in re dubia & ancipiti ad ipſum Hippocratem Gal. & alios artis principes prouocare. Tardi enim ingenij eſt riuulos conſectari, fontes rerum non videre, ait Tullius. Sed deerant Harueto principes illi. Itaque excuſandus qui in hoc ſcopulo hæſerit. Contrà namque Hippocrates eam quæ ex arteriarum obſtru- De vict. rat. in acu.
ctione fit apoplexiam ſanguinis miſſione curari ait. At ſanguinis miſſio vel occidit, vel liberat,
ait

ait Celſus. Occidit quidem ſi pituitoſa ſit apoplexia: liberat ſi ſanguinea, vt interpretantur noſtri practici. Non eſt igitur pituitoſa apoplexia quæcunque fit ex arteriarum obſtructione ſed ſanguinea aut melancholica. Galeni expreſſa eſt aduerſus Haruetum ſententia tùm ſuperiùs citata, tum lib. 2. aphor. 42. Omnes, inquit, apoplexiæ fiunt vi animali non potente defluere ad partes infra caput exiſtẽtes aut propter aliquam phlegmonodem affectionem (tumorem ſcilicet præter naturam) quæ in ipſo cerebro ſit conſtituta, aut ventriculis ipſius humore pituitoſo oppletis. Lib. 3. cap. 27.

Ratio ſi quæ ſit pugnat aduerſus Haruetum. Nam ſi aliqua in reti admirabili (in brutis animantibus claro, in hominibus raro) obſtructionem fieri contingat, apoplexia inde nulla excitari poteſt: quia contextum illud eſt ex ramo carotidis & iugularis internæ quæ in cerebrum vitalem ſpiritum confert: vnde fit vt ea vinculo intercepta vel abſciſſa, neque mutus neque ſopitus quiſquam euadat, ſed omnes tantùm, quæ ſupra partem vulneratam ſunt, arteriæ pulſu omni priuantur, vt teſtatur Galenus de plac. Hipp. & Plat. Hìc Fernelium excuſare Lib. 2. licebit, qui cum antiquis exiſtimauit in plexu admirabili præparari ſpiritus animales, quibus



Digitized by Google

probabiliùs conſecrarunt recentiores Anatomici plexum Choroïdem, cuius arterias ſanguine pituitoſo aut melancholico obſtructas credibilius eſt apoplexiam inducere poſſe: quo ſenſu interpretor citatum Hippocratis locum. Alium apoplexiæ modum ſubiungis, ſed quem nec autoritate nec ratione probare queas ex cerebri ſcilicet humida intemperie. At ſupra ex Gal. didiciſti à nulla corporum intemperie apoplexiam creari poſſe. Qua etiam ratione fluxionem illam, quæ per partis imbecillitatem ſponte fit, repello. Quod enim ſponte fluit non repente neque cum impetu ſed pedetentim ſubinde genitum ſubinde decidit. At apoplexia eſt repentina motus & ſenſus priuatio, quam idcirco quidam *ictum ſanguinis* appellarunt, & *ſyderationem* apud Ægin. & Aëtium vertit Cornarius, quaſi ſyderis aut fulminis ictum à quo etiam apoplexiam aliquando deducit Celſus.

Quæris denique num quos prodidit Ioub. abſtinentes omnes actiones humanas obire ſcripſerit. Scripſit ſane, non omnes quidem (quorum quamplurimi valetudinarij fuerunt) ſed Spirenſem puellam annos tres nullo, præter aërem, cibo potuque vitam ſalubriter traduxiſſe.

Ieiunium verò aliquot dierum functiones noſtras intercipere non poſſe, viſum aliquando

Hippo. qui ſcripſit biduo nihil edentes & eſſe & aliquid facere facilè poſſe. ἡ γὰρ ἰκμὰς ἡ ἐν τῷ σώματι μένουσα, τὴν ἰσχὺν παρέχει. i. humor in corpore relictus robur præſtat. Lib. 4. de morb.

Poſtremò ad eundem ſemper lapidem allidis neque vides quomodo crudior hic humor (de quo tot tantaque) in his corporibus concoqui non corrumpi poſſit, quia ſi paucus in colico dolore, à multo calore non concoquitur: multominus tanta eius copia in abſtinentibus à pauciſſimo calore. Reſpondeo peccare hanc ratiocinandi formam, quia non eandem in re ſeruat anologiam. Erat enim de pituita naturali inſtituta diſputatio. Hic ab omnium inſenſiſſima & naturæ maximè aduerſa argumentatur: vitrea illa ſcilicet à qua dolorem colicum tam vehementem ſe ſenſiſſe ſcribit Gal. vt inteſtina tanquam terebello ſibi perforari putaret: quæ cum frigidiſſima ſit, calorem alienum admittere non poteſt. Lib. 2. de loc. aff. cap. 1. *Dignum vtique admiratione eſt*, inquit Gal. *quomodo non obſcuro agri ſenſu frigidus excidere poſſit, calidiſſimorum medicamentorum iniectione deturbatus, nec ab excretionis violentia, cum excidit, calidus euadat.* At naturalis pituita proprio corporis calore (qui nunquam deficit quandiu ſuus illi humor ſuppetit) conſeruatur, & ſenſim conco-

quitur:neque citiùs corrumpi debet in ieiunantium corporibus, quàm in noſtris, cùm putredo ſæpius extinctione quàm marcore contingat, pluresque ſint tum externæ tum internæ caloris extinguendi cauſæ, quàm marceſcendi. Illis omnes ſex res nonnaturales & contra naturam humores continentur: his vnicus calor qui hanc interitus ſpeciem ſibi ipſi conſciſcit, ſicut ſua ſponte nulla adhibita vi conſumptus ignis deficit, autore Ariſt. de iuuentute & ſenectute.

Atque hæc in caſtiſſimarum & abſtinentiſſimarum Muſarum gratiam habebam dicenda, quæ doctiſſimi Iouberti apologiam hactenus ſartam tectamque, vt ſpero, exhibeant & noſtram ab Harueti confutatione vindicent.

*FINIS.*

Digitized by Google

# DE
# NOVO ET POPVLARI
## APVD PICTONES
### DOLORE COLICO BILIOSO.
# DIATRIBA.

Digitized by Google

Digitized by Google

# DE NOVO ET POPVLARI APVD PICTONES DOLORE COLICO BILIOSO.

# DIATRIBA.

## CAPVT I.

GIGANTES ferunt, cum Deos armis laceſſerent, noua & varia animalium monſtra per vniuerſum orbem eſſe nata. Idem propemodum toto poſtremo ſeculo contigit, cum audaci nimiùm & temerario auſu, totius Europæ Principes, quam ſibi quiſque de Deo & eius cultu ſententiam affingebat (quod certè quid eſt aliud quàm cum Deo pugnare?) eam armis & publica ſtrage aſſereret, aut ſaltem hoc prætexeret nomine culpam: Plutarch. ſymp. 8. quæſt. 9.

Digitized by Google

vniuerſus orbis Chriſtianus varijs atque æuo priore incognitis morborum generibus, ne dicam portentis, conflictatus eſt.

Prima erupit Lues venerea, ſcortatorum flagellum, anno 1494. & ab expeditione Neapolitana in totam Europam deriuata, ſingulas eius regiones peruaſit, à quibus nunc Gallici, nunc Hiſpanici, nunc Parthenopæi ſeu Neapolitani morbi nomen ſortita eſt. Nicolaus Leonicenus, ſine nationum iniuria, Epidemicam ſcabiem dicere maluit, Fracaſtorius Syphilidem, alij pudendagram. Hæc toto milleſimo quingenteſimo anno ſæuijt, & ſexcenteſimo nouo, à nouis ſymptomatis, nomine Cryſtallina dicta, crudeliùs aliquantiſper graſſata eſt. Nunc verò deferueſcente iſtius contagij ſeminario, de ſua feritate, intolerando Chirurgorum damno, multùm remittere videtur.

Aliquanto poſtea tempore circa annum 1529. ὑδρωνοῦσος, quem quia maiorē primò Britanniam inuaſit, Anglicum ſudorem dixerunt, multa hominum millia, virium robore intra viginti quatuor horas, ingenti ſudore, diſſoluto, ſuſtulit. Et hic poſt biennium ab ortu ſæuire deſijt.

Paulò poſt natus, qui Daniæ primùm Noruegiæ & Lituaniæ fuit infeſtus, Scorbutus: nunc omnibus ferè locis maritimis & nauigantibus

gingiuarum

gingiuarum putredine, dentium caſu, faucium virulentis vlceribus, halitus fœtore, totius habitus, tibiarum imprimis & pedum œdematoſo tumore & liuentibus in cute maculis, quæ in maligna vlcera degenerant, funeſtiſſimum.

Nouiſſimè circa annum milleſimum quingenteſimum ſexageſimũ aut ſeptuageſimum, Plica illa Polonorum ab Hercule Saxonia decantata erupit, quæ implicitis & horridè contextis crinibus virorum atque mulierum capita ſic dehoneſtat, vt gorgoneum caput videri poſſit, pediculis & pure ſcatens, quod neque ferro præſcindere, nec pectine explicare audeant. Eos cirros ſi quis præcidere agrediatur, ſtatim aut oculis capitur, aut pro varietate partium, in quas virulentus ille humor decumbit, miſerrimè cruciatur, oſſa contunduntur, artus laxantur & ſingulæ corporis partes conuelluntur. Sin verò tricas illas & cincinnos nutriat, nihilominus quantumuis validus& carnoſus, imbecillus, tremulus & exanguis efficitur. Quòd ſi ſponte deciderint, & proindè vis morbi fracta videatur recrudeſcit tamen, nec antea deſinit, quàm capillos omnes implicuerit, & inſigni pedore atque ſpurcitie oppleuerit.

Eodem ferè tempore, aut ſaltem circa annum milleſimum quingenteſimum ſeptuage-



Digitized by Google

ſimum ſecundum, cum nouum illud in Caſſiopæa ſidus, non ſine occulto Dei iudicio, magna ſanè Aſtrologorum omnium admiratione conſpectum eſt: nouus dolor Colicus ab acerbiſſimis à bile, vt creditum eſt, cruciatibus, Bilioſus dictus, ortus eſt, atque etiamnum graſſatur. Eorum quos attingit corpora, veluti ſidere percuſſa, ex priſtino repente ſtatu deiicit, pallor vultum decolorat, extrema frigent, languent vires, animus inquies, corpus anxium, vigiliæ aſſiduæ, leipothymiæ, ſeu potiùs cardiogmi frequentes, appetentia proſtrata, nauſea perpetua, ructus, vomitus, iſque porraceæ & æruginoſæ bilis, qui niſi ſuccedat; ſingultus creberrimus miſerum ægrum fatigat, ſitis inexhauſta, ſtranguria moleſta, & quæ calculum ſæpiùs mentitur: hypochondria æſtuant, interdùm ſine febre, ſæpius cum febre lenta, & quod totius mali caput eſt, acutiſſimus ventriculi, inteſtinorum, lumborum, ilium & inguinum dolor excruciat: quas partes interdùm ſimul & ſemel, interdùm alteram tantùm vehementiùs exercet: ſæpe, per initia præſertim, cum alui frequenti, ſed non ita copioſo fluore, ſæpiùs cum eiuſdem adſtrictione. Mox propagante ſe veneno, aut ſaltem vapore acri à materia morbifica ſuſcitato humeri, mammæ, totumque pectus

velut aculeis vellicantur, punguntur, lancinantur. Modò verò crura & os ſacrum: nec deſunt quibus plantarum dolores crudeliſſimi, motu illæſo, ventris dolores ſequantur, viciſſimque acerbiùs renouent. Et poſt tot ærumnas, mirum dictu, æger iam meliùs ſecum agi credens, ventris quippe doloribus vtcumque remittentibus, brachia & pedes reſolui perſentiſcit, & illam, quæ totos infuſa per artus molem agitat, vim frangi percipit. Cubiti & manuum, tibiarum & pedum motus perit, integro tamen ſenſu, eóque veluti pungentis acus per totam cutem. Hanc paralyſin in plæriſque præcedunt epilepticæ aliquot conuulſiones, quę olim multos, nunc rariores è medio tollunt. Eas ingruentes præmonſtrat plurium horarum cæcitas, mente adhuc conſtante: ſæpe etiam ipſa ſolitaria manet, & per ſeptem vel circiter dies perſeuerat, nulla alia ſenſuum functione, præterquam viſione, intercepta; tuncque dolores aut nulli ſunt, aut leues, ſenſimque mitigantur, ſi tempeſtiuis & opportunis remediis cauſa ſubducatur. Alioqui dolor exacerbatur, & epilepſia, magno cum ægri diſcrimine, recurrit. Qui verò à tot tantiſque malis, diligenti curantium operâ, ſuperſunt, diutiùs lecto affixi, & partium omnium, infra caput, paralyſi affecti vires



Digitized by Google

paulatim recuperant, & poſt aliquot menſes, ſuâ artubus vi aliquantiſper reſtitutâ, per vicos, veluti laruæ, aut arte progredientes ſtatuæ, pallidi, ſquallidi, macilenti identidem conſpiciuntur, manibus incuruis & ſuo pondere pendulis, nec niſi arte ad os & cæteras ſupernas partes ſublatis, ac pedibus, non ſuis, ſed crurum muſculis, ad ridiculum, ni miſerãdum, inceſſum compoſitis, voce clangoſa & ſtrepera. Nec omnes tamen manet eadem ſors, adeò varia eſt & mutabilis huius Protei forma, cui tamen non deeſt aliqua etiam ratio. Nam qui ſalutarem Panacææ tutelaris opem tempeſtiuè poſcunt, & doloris magis cauſis, quàm ipſi ſymptomati remedia aptari ſinunt, iis quidem primò purgantium medicamentorum vſu dolor ingraueſcit, ſed poſt alternas tum catharticorũ, tum anodynorum vices, mitior tandem fit atque leuior. Sed ne hoc quidem morbum ſoluit, niſi alui ſpontaneum & liberale profluuium accedat, quod omnẽ paralyſeos atque epilepſiæ, reliquorumque grauiorum ſymptomatũ occaſionem præripiat aut quod rariùs fit, hæmorrhois vel menſtruum copioſiùs fluat: quamquam tanta eſt huius mali pertinacia, vt profluentibus etiam menſtruis in mulieribus, & hæmorrhoidibus in viris, eò grauiùs ſæpe inſurgat, ſuppreſſa ſcilicet,

præ doloris vehementia, ſolemni illa vacuatione ante ſtatum tempus, vnde fit humor ἀνάῤῥοπος, qui ex naturæ lege debueret eſſe κατάῤῥοπος.

Obſeruatum eſt aliquando, puſtulam in extremo pede ſubortam, quæ humoris purulenti quidpiam effudiſſet, hunc affectum perfectè iudicaſſe, qui aliàs non niſi reſolutos, conulſos & exangues ac ſæpiùs exanimes dimittere ſolet.

---

## *Colici popularis natura & origo.*

## CAPVT II.

HAbet ergo Colicus hic dolor peculiarem quandam naturam, regionis huius incolis toto genere repugnãtem, quam epidemiam, ſiue popularem dicimus, quoniam paſſim in vulgus graſſatur; & multis communis eſt, communemque habet cauſam. Communium verò morborum alij Epidemij, alij Endemij ſiue vernaculi. Epidemiorum alij ſunt mitiores, qui anni vnius vel plurium certo tempore, in regione aliqua ſæuiunt, vt modò tuſſis popularis, vel catarrhus Epidemicus, qui à cucullo, quo capita eo tempore velare ſolent, *Coqueluche* vulgò dicitur, modò dyſenteria, modò alij,

quos habet Hippocrates in epidemijs: Alij grauiores, qui præterquam quòd vulgares ſunt, certam etiam perniciem præ ſe ferunt, vt peſtis. Endemij autem patrij ſunt & alicui regioni familiares ac vernaculi, vt Bronchocele Alpium accolis; Carbunculus Narbonenſibus, Ophthalmiæ Aragonenſibus, Elephantiaſis Ægyptijs: quibus certè Colicum noſtrum dolorem Pictonibus adeò infeſtum & nimis familiarem annumerarem, niſi magis vniuerſalis & communis eſſet, ac non ſolis Pictonibus, ſed etiam Armoricis, Santonibus, Engoliſmenſibus & toti fermè Aquitaniæ iam popularis. Narrabat P. Milo Clariſſ. collegij noſtri nuper Decanus & egregius huius affectus explorator & expugnator, ſe cum Henrici Magni felicis memoriæ Regis Chriſtianiſſ. primarius Medicus eſſet renuntiatus, iámque eo nomine medicinam Lutetiæ faceret, in aliquot ægros hoc morbo implicitos incidiſſe, quos non ita eò loci adhuc obſeruatos pluribus medicis, quaſi expreſſa colicorum Pictonicorum exẽplaria indicaſſet. Et verò Ioannes Fernelius ante annos ſexaginta ibidem obſeruauerat febres continuas & tertianas, ſæpe etiam quartanas, quod & hìc nos, hiſce doloribus finiri, grauiſſimis quidem illis & diuturnis, qui neque clyſteribus, neque medicamentis,

De part. mor. lib. 6. cap. 1.

neque ijs remedijs, quibus qui verè ſunt colici dolores deliniri ſolent, demulcerentur. Idipſum Hollerio eodem ferè tempore occurrit, qui dolorem colicum tranſire in paralyſin familiare quibuſdam populis profitetur, vt Britonibus: Lutetiæ verò rarum. Profert tamen exemplum Sacerdotis cuiuſdam quadraginta annorum, cui, ex aſſiduo propè dolore colico, paralyſis nata dolorem ſoluit, ſed manſit paralyſis, inquit, annis aliquot. Atque hæc iam tum à primo ſui ortu in principem totius regni ciuitatem cacoëthiæ ſeminaria diffundebat: necnon in proximam prouinciam Picardiam, vt colligere eſt ex conſilio nouo P. Droëti de peſtilentia, typis excuſo anno 1572. Colicus dolor, inquit, hoc anno fuit re vera epidemius & exitioſus. Omnes enim facti ſunt paralytici, vel epileptici: & ex his non pauci interierunt, vel in ipſa acceſſione, vel paulò poſt, idque præſertim Abbeuillæ & neſcio quo virginum cœnobio, cui nomen Caſæ Dei. Sed latiùs adhuc alas explicuit rapax hic Tityi vultur. Nam præter alias Europæ regiones, in quibus medici ſiluerunt, Morauia, Sileſia, maximaque inferioris Germaniæ pars iampridem laniatum eius & crudelem morſum expertæ ſunt, vt ex ea Langij epiſtola, quam de torminibus à febre relictis ante 70. annos con-

De mor. int. lib. 1. de col. dol.

Lib. 2. epiſt. 38.

ſcripſit, perſpicuum eſt. Sed multò clariùs ex conſilijs & epiſtolis longo poſt tempore à Cratone de paralyſi ex colica anno 1582. ſcriptis, vt & ex variis Paracelſi & eius antagoniſtæ Eraſti operibus. Quod facit vt credã vulgarem adhuc & popularem eſſe apud eas gentes hanc luem, niſi malè feriatus aliquis Galliç genius infeſtum & infauſtum hoc virus ab illis repetierit, & eius vim maleficam ad nos traduxerit, quam ſoli perpeti mereamur. Quicquid ſit, Epidemium eſſe & proindè communem aliquam cauſam habere ſatis ſuperque conſtat.

Conſ. 10. & 11. epiſt. 3. & 4.

---

## *Colici popularis cauſa.*

### Capvt III.

Aere pluribus vtimur (vt loquitur eloquentiæ princeps) cuius inſpirandi tanta eſt neceſſitas, vt cum alternæ ſint in omnibus corporis noſtri functionibus motus & quietis vices, ſola ſit aëris inſpiratio, quam nulla inſignis temporis intercapedo, nullum ſpatium, ſine manifeſto vitæ diſcrimine, cohibere poſſit. Cibo, potu, ſomno per aliquot horas, vel etiam dies carere poſſumus, vt in Abſtinente noſtra

docuimus:

docuimus: Aëris commeatum ſi quis intercipiat, vel per horulæ partem exiguam, mors præſto eſt. Eum ergo per vniuerſas mundi partes natura penetrabilem fecit, vt ſingulis animantibus, auibus, brutis, piſcibus, immò etiam ſubterraneis æquè ac hominibus eſſet vſui. Ideóque τὸν περιέχοντα vocat Ariſtoteles, nos ambientem. Hinc concludit diuinus præceptor, eorum, qui complures vna eademque tempeſtate afficiunt, morborum cauſam in id potiſſimùm reijciendam, quod maximè commune eſt, quóque omnes vtimur. ἔστι δὲ τοῦτο (inquit) ὃ ἀναπνέομεν. Id verò quod inſpiramus aër eſt, qui qualis eſt, tales ſunt ſpiritus, teſte Gal. Si purus atque lucidus, nec halitu ſtagni vel paludis infectus, tenues & ſplendidos efficit ſpiritus, qui quod regunt corpus ad omnes functiones obeūdas alacrius & vegetius reddunt. Sin craſſus & caliginoſus is fuerit, vel μιάσμασι, id eſt morbidis inquinamentis infectus, ſpiritus craſſos & obſcuros gignit, à quibus corpus effœtum, languidum & grauiſſimis morbis obnoxium efficitur. At miaſmata & inquinamenta illa ex maligno, vt plurimùm, ſiderum aſpectu, vt Saturni & Martis, in ſignis fœmininis, cum capite vel cauda draconis, vel luminarium eclipſibus, in aëre generantur: vnde fit vt varijs temporibus varia

Hipp. de natur. hum. lib 2.

De criſ. cap. 3.

oriantur morborum genera, quorum alia intra certum tempus deſinunt, vt illa quæ inter pedum digitos naſcebatur, Plinij Gemurſa; vt Strabonis Ranunculus, peculiare tunc Narbonenſis prouinciæ malum; vt Lichen ſiue Mentagra; quæ omnes pridem exoleuerunt; alia poſt certum tempus recrudeſcunt, vt Scelotyrbe eiuſdem Strabonis, quam in Scorbuto rediuiuam conſpicimus; vt catarrhus Epidemius, ſiue tuſſis popularis, quæ, vt ſcribit Valleriola, graſſabatur anno 1510. poſtmodùm anno 1557. renouata, vniuerſam Galliam peruagata eſt; vt dyſenteriæ populares, quæ ex frequentioribus interuallis recurrunt; & poſtremò, vt malum noſtrum colicum, quod plærique ab Hippocrate ante bis mille ducentos annos obſeruatum putant, ex ea quam notat ab articulis in inteſtina materiæ morbificæ tranſlatione & contra, 6. Epid. ſect. 4. quam etiam nuper obſeruauimus in peritiſſimo huius vrbis Pharmacopæo, qui ex Arthritide, qua diu conflictatus fuerat, in colicum dolorem incidit, & intra paucos dies conuulſus perijt. Vnus Paulus Ægineta ante mille ducentos annos expreſſam vidit & deſcripſit Pictonici noſtri colici doloris ideam, cuius prototypum colicum dolorem bilioſum ſua ætate in Italiam primùm, per multas deinde

Reip. Romanæ prouincias, peſtilenti quodam influxu, graſſatum fuiſſe teſtatur, in quo plæriſque in epilepſiam, alijs in paralyſin, ſenſu incolumi; nonnullis in vtraque metaſtaſin factam eſſe ait, ac eorum qui epileptici facti ſunt, plures interijſſe. Ex ijs verò, quibus in paralyſin factus eſt tranſitus, plæroſque omnes, veluti criſi quadam, cauſa in neruos tranſlata, ſeruatos, quibus motus poſt certum temporis ſpatium ſponte redijt. Lib. 3. cap. 43.

Quod idem paulò ante monuerat, ſuperſtites ſcilicet ex hoc affectu futuros conſummatam artuum motus priuationem conſequi; tactus ſenſu incolumi, ceu critica quadam ex alto oborta tranſmutatione. Lib. 3. cap. 18.

Extinctum deinde eſt, nec viſum poſteà, imò nę notatum quidem per ſexcentos vel ſeptingentos annos, donec Auicenna medicorum Arabum princeps fen. 16. tractatu 3. cap. 6. colicam ſcripſit fieri interdùm peſtilentem & epidemiam: *Quandoque accidunt*, inquit, *colica & ileos ſecundum ſemitam accidentis ægritudinum peſtilentialium aduenientium, & perueniunt de regione ad regionem, & de homine ad hominem. Et iam retulit illud quidam medicus de antiquis* (Paulum intelligit) *& dixit quòd perueniebant quidam eorum ad*

Hic locus apud Auicennã corruptus eſt. Habet enim reſolutionẽ coli inteſtini loco τῶν κώλων i. artuum. Quod additur diſlocationis nomen ineptũ eſt.

*epilepſiam & erat epilepſia mortalis, & quidam ad reſolutionem artuum & mollificationem eorum cum incolumitate ſenſus & ſperabatur cum huiuſmodi euaſio, & lædebantur artus ſecundum ſemitam permutationis ſimilis criſi.* Et lib. eodem 3. fen. 2. cap. 2 *Paralyſis quædam*, inquit, *eſt criſis colicæ & multoties remanet cum ea ſenſus. Nam quidam antiquorum dixerunt quòd eum colica aliquibus annis communicat, interficit plurimos. Et qui euadit, euadit cum paralyſi euenienti ei. Quaſi enim natura expellit illam materiam quæ eſt adueniens neruis & reducit eam ad exteriora, &c.* Deſijt rurſus hoc malum, & nunc tandem poſt quingentos fermè annos, quaſi conuerſis ad noſtrum clima, ſub eadem inter ſe comparatione, ſideribus, reuixit idem affectus, cum ijſdem & multis alijs grauioribus, pro auctario, ſymptomatis. Quando deſiturus ſit, ignoratur. Nam qui aſtra regit Deus peccata noſtra eo morbi genere vindicabit, donec ad parietem, vt illum olim Ezechiam, conuerſos ſeriò nos pœnitebit.

*De alijs cauſis externis.*

## CAPVT IV.

DIogenianus apud Plutarchum ἐκ τίνων, inquit, νοσοῦμεν οἷς καὶ ζῶμεν. Quandiu enim Sympoſ. 8, quæſt. 9. facili & eupepto cibo, nec per artem, voluptatemque corrupto, ac innocente potu, perenne triplicis noſtræ ſubſtantiæ effluuium inſtaurare ſubinde pergimus: ac edimus & bibimus, vt ne edamus & bibamus (quod facere ſapientes autor eſt magnus Scaliger) Exercit. 151. 4. inculpata ſanitate fruimur. At vbi concoctu difficilibus & crudis cibis ventriculum oneramus: vbi in gulæ terrarum mariſque vaſtatricis gratiam mille condituras, non ad tollendam, ſed ad irritandam famem aut varia, non ad explendam, ſed ad excitandam ſitim, vinorum genera quærimus, laudabilis illa corporis eucraſia alteratur, functiones læduntur, ventriculi imprimis concoctio, vnde cruditas, huius morbi fons & origo. Hanc verò maximè pariunt alimenta acria, ſalſa & piperata, quę cum à calore natiuo vinci nequeant, corrumpuntur & calorem ſuum nihilominus retinentia, in porraceam bilem conuertuntur.

Nec minus noxia ſunt auſtera & acerba: qualia ſunt omnes fructus crudi, & immaturi, omnes cibi adſtringentes, craſſi, terreni & flatulenti, quos ventriculus cum coquere & conficere nequeat, in flatus & varij generis humores vitioſos debili ſuo calore commutat. Huius generis ſunt etiam vina noſtra Pictonica, præſertim recentia, quæ ab aliquot annis, ex certa cæli conſtitutione & veri Septentrionis, quem ἀπαρκτίαν Græci dicunt, nos Galernam, matutino flatu molles vinearum coliculos congelante, auſtera & acerba ferè omnia colligi ſolent. Quo enim tempore vitis gemmas emittit, medio ſcilicet vere, matutini algores, ab eo, quem dixi, flatu, tanti ſunt, vt plærumque glaciem & pruinam, in maximam turionum, cauliculorum & florum tum vinearum tum cæterarum arborum perniciem, efficiant.

Deinde appellente Autumno, vuis ad maturitatem properantibus, tantum plærumque frigus ſuperuenit, vt eas recrudeſcentes potiùs quàm maturas colligere cogamur, vnde vina acerba exprimuntur, in tenuiorum necdum aſſuetorum ventriculorũ detrimentum. Quod experiuntur ſæpius mendicantes omnium Ordinum fratres, qui quoniam peregrini plærique omnes, à vinis noſtris magis læduntur, eoque

grauiùs, quòd vina in ſuorum cœnobiorum ambitu collecta (*vins de treille*) aut hinc inde conquiſita, tum quia varia, tum quia fortaſſe non meliora, potare cogantur.

Mirandum certè & miſerandum magis, quod Patribus Fulienſibus anno 1614. contigit, cum in Nouallium cœnobium, ab hac vrbe duobus milliaribus diſtans coloniam deduxiſſent, intra menſem omnes (erant autem tredecim numero) queruli, gemebundi, proni in ventrem, eumque crudeliſſimis doloribus vexatum, ſuas vices dolere, cœlum Pictonicum accuſare: Xenodochium potiùs, quàm monaſterium dixiſſes. Nec alia mihi cauſa ſuccurrebat, quàm quòd, præter cœlum, vino albo, eoque acerbiſſimo, aliàs generoſis, vt Toloſanis, &c. aſſueti pro potu vterentur: quod probauit euentus. Mutato enim cœlo & potus genere, confeſtim priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt. Eiuſdem tam frequentis in Morauia morbi cauſam eandẽ agnoſcebat Crato, anno 1582. & tot in ea regione colicos & paralyticos non aliam ob rationem videri exiſtimabat, quàm quod Morauica vina noxia ſunt, inquit, & natiuum quiddam, quod hunc morbum conciliat, in ſe contineant. Meminit Cardanus cuiuſdam colici doloris quadriennis, non ventrem ſolum & pectinem, ſed

Conſ. 10.

Conſil. pro dolore vago.

Digitized by Google

etiam pectus dorſum & ceruicem, cum palpitatione ingenti, torquentis, cuius originem petit à vini acerbi & auſteri potu. Quis verò miretur à noſtris huiuſmodi vinis tot excitari tempeſtates, cum etiam in longinquas regiones deportata, & motu multiplici calefacta & concocta mores nihilominus & humores corrumpãt? *Plebei noſtrates*, inquit Leuinus Lemnius Belga Zirizæus, *ex vini Pictauenſis potu, quòd mordaces fumos cerebro inferat, moroſi efficiuntur, calcitroſi, iracundi, implacabiles ſic vt rixentur aſſiduè, ſuaſque vxores crebrò pulſent, ac pugnis ſubigant. Quod ipſum illis facere religio eſt, vbi Rhenanum aut aliud generoſa natura vinum hauſerunt. Tunc enim blandiores ſunt, atque oſculo potiùs, quam fuſtibus impetunt.*

De occultis naturæ miraculis lib. 1. cap. 15.

Hunc etiam affectum aliæ cauſæ nonnaturales & externæ inducere poſſunt, vigiliæ immodicæ, labor vehemens, alui adſtrictio: Sed multò magis grauiora animi pathemata, vt metus & mœſtitia, quæ calorem natiuum obterunt & obruunt, vnde perturbata & labefactata concoctione, cruditates multæ ſuccreſcunt, & bilis, quæ multa in cauis hepatis interea collecta erat, in inteſtina dilapſa craſſior efficitur, ideóque difficiliùs excernitur & potentiùs per longiorem

Digitized by Google

longiorem moram excruciat. Inde eſt quòd ex amicorum & propinquiorum, vt parentum, coniugum & filiorũ obitu plærique eum morbum incurrunt: Alij ex lite amiſſa; alij ex alia quauis vel nominis vel bonorum iactura. Plurimos intempeſtiua & immodica venus in eum affectum præcipitauit, inflammatis ſpiritibus & calore natiuo, à quo multa bilis, loco ſanguinis, genita fuerat.

---

## *De internis cauſis.*

## CAPVT V.

SIc interiores cauſas externæ mouent, illiſque materiam ſuggerunt. Nam, vt primò de aëre dicam, is calidus & ſiccus, qualis per æſtatem eſt, ſanguinem accendit, & attenuat, ex quo bilis fit, morborum ferè omnium, vbi redundauerit, materia vt vult Democritus apud Hippocratem, ſi cum aëre conueniant reliquæ Epiſt. ad Damag. iam citatæ cauſæ, cibi calidiores, vigiliæ, labores, excrementorum retentio & animi perturbationes, ex quarum omnium concurſu bilis copioſiſſima ſuccreſcit, modò in venis, modò in ventriculo: In illis quidem pallida & vitellina: in hoc porracea, æruginoſa & glaſtea. Ab

illis putrentibus febres tùm continuæ, tum intermittentes fiunt: Ab his aduſtis aut corruptis cardiogmi, ſingultus, & plærique alij contra naturam affectus: Ab iiſdem in inteſtina delatis dyſenteriæ crudeliſſimæ & colici dolores vehementiſſimi; vtrobique enim mordax & acris humor inteſtina pungit atque vellicat, ſed in dyſenteria bilis non rectà, ſed quaſi per cuniculos in inteſtinorum tunicas ſe inſinuans ad frequentem excretionem illas compellit. In Colico dolore bilis vt plurimùm rectà in inteſtinorum ſpatium delata plurimæ pituitæ & crudis ſuccis permiſcetur, quos calefacit, exſiccat & incraſſat, vnde ſequitur tam pertinax fœcum retentio, quanquam etiam ex turgente multa bile circa morbi initia frequenter aluus ad excretionem, ſed citra abraſionem muci, adipis vel tunicarum, vt fit in dyſenteria, proritetur: cui tamen ſuppreſſæ ſæpe ſuperuenit ingens colicus dolor. Latiùs ſe explicat huius bilis orgaſmos: pectus, mammas, humeros, alas petit: quod non ita nouum videbitur ei, qui diuini præceptoris libellum de veteri medicina euoluerit ὅταν πικρότης τις ἀποχυθῇ (inquit) ἣν δὴ χολὴν ξανθὴν καλέομεν, οἷαι ἆσαι, καὶ καῦμα, καὶ ἀδυναμίαι κατέχουσιν. Et ſtatim ſubijcit. Καὶ ὅσοι μὲν ὀξύτητες προσανίσταν]ται, δριμεῖαί τε καὶ ἰώδεις οἷαι λύσσαι, καὶ δήξιες σπλάγχνων

Digitized by Google

καὶ θώρηκος καὶ ἀπορίη. Atque ab hoc eodem humore, meo quidem iudicio, natus grauiſſimus ille apud eundem Hippocratem circa vmbilicum dolor, qui Hegeſipolis filium exercebat. Epid. 7. Eum quatuor propè menſes dolor erodens detinuit, proceſſu verò temporis intendebatur. Ventrem cædebat, vellicabat, calores prehendebant, contabeſcebat, oſſa reſtabant, pedes intumeſcebant: Teſtes, ventris partes ad vmbilicum inflatæ erant, perinde ac quibus conturbari velle videtur, cibum auerſabatur, &c. En expreſſam noſtrorum ſymptomatum effigiem: en meros humoris acris effectus: nec aliud ſonat in capite hiſtoriæ appoſitum ἄλγημα βεϐρωτικὸν. Quis enim rodere humor præter bilem poteſt? quis vellicare? quis æſtum excitare? Non dubito tamē, quin ex vſu lactis, quod ſolum, vt poſtea dicitur, aſſumebat, & multi flatus & copioſa pituita, cuius etiam partem aliquā moriturus reiecit, fracto iam & effœto calore natiuo gigneretur, vnde pedes intumeſcerent, & venter flatibus diſtenderetur. Cætera erant à bile, quam, quia neque per vomitum neque per aluum excreuit, ſed tantùm pituitam, eamque paucam, perijt. Si enim qualia purgari oportet purgentur, confert & facilè ferunt. Sin minus, contra fit, ex eiuſdem auctoris doctrina. Vnde

mirari ſubit Foëſium, virum vndiquaque doctiſſimum, ſuis in eum locum ſcholijs, tot calidioribus bilis effectis non fuiſſe adductum, vt tanti mali & tam acuti cauſam, bilem ipſam ſtatueret: Quinimo ex vnius pituitæ vitreæ aut albumineæ, in ventriculo ex prauo viuendi genero & caloris natiui imbecillitate, poſterioribus fortè diebus genitæ vomitu, quod nulli præterquam bilioſo humori tribui poteſt, roſionem, punctionem, lancinationem membranarum & feruorem viſcerum pituitæ aſſignaſſe. Non diffiteor tamen tam vehementes interdum ab humore pituitoſo & vitreo cruciatus contrahi, vt terebri vel pali infixi modò torqueant, quales ſeipſum perpeſſum narrat Galenus: quorum etiam præ grauitate, plærique ſibi mortem conſciuerunt, vt Proculeius, gypſo epoto apud Plin. Sed hoc illi dolores præſtant, tunicas diſtendendo & grauando, non vrendo & rodendo, vt hic noſter dolor colicus. Quibus rationibus motus Paulus Ægineta, qui nobis in hac luce præeſt, & qui vnus nominatim & ex profeſſo de hoc dolore populari agit, humorem bilioſum acrem & erodentem grauiſſimi huius affectus cauſam ſtatuere non dubitauit. Hanc porro bilem parit imprimis præcalidum iecur, ſiue natura, ſiue aduentitiè. Natura quidem,

[Margin notes: 2. de loc. aff. — Lib. 36. cap. 24. — Lib. 3. cap. 43.]

quibus innatum eſt calidum & ſiccum iecoris temperamentum: Atque hi leuiſſima de cauſa, vt ex prauo alimento, vel immoderatis vigilijs, vel cura aut mœrore in hunc affectum inci-dunt, atque inde in paralyſin vel conuulſio-nem, aut cæcitatem, præſertim ſi ex præcordio-rum æſtu flaua bilis in atram degenerarit vt col-ligitur ex aph. 56. lib. 6. τοῖσι μελαγχολικοῖσι, &c. melancholicis ſuſpecti humorum decubitus, vel corporis apoplexiam (hoc nomen etiam pa-ralyſi tribuitur apud Hippocratem) vel conuul-ſionem vel maniam vel cæcitatem denuntiant. Aduentitiè autem impensè calidum eſt iecur, quibus relicta eſt à morbis bilioſis non iudica-tis calida intemperies, vnde fit vt plæræque ſub æſtatis finem febres intermittentes, tam dupli-ces tertianæ, quàm tertianæ legitimæ, vel non curatæ vel nulla excretione iudicatæ in iſtum popularem colicum degenerent, κατὰ μετάστασιν, vt à Fernelio iamdiu diximus obſeruatum, bilioſo ſcilicet illo humore è venis & viſceribus in membranarum ſpatia, naturæ per loca conue-nientia depellere prohibitæ vi, auerſo. Id nobis conſtat ex ægrorum eo morbo ereptorum diſſe-ctis cadaueribus. Anno 1592. perijt Franciſca-nus quidã, nomine *Brethet*, cuius aperto cada-uere, ieiuni inteſtini diploë diuiſa à ſe inuicem

erat, eiuſque ſpatium humore refertum tumorem, oui anſerini magnitudinem referentem, exhibebat. Is tumor, iuſſu D. Milonis piæ memoriæ, me adhuc philiatro & eius diſcipulo præſente, apertus nihil præter ſynceram bilem eamque æruginoſam profudit. Multa huius generis à cæteris collegis noſtris annis citerioribus obſeruata ſunt. Quanquam vt plurimùm bilis ipſa vel inteſtinorum alueo concluſa, vel etiam in eum ex vniuerſo corpore per venas confluẽs, ἄνω καὶ κάτω, ſæpius per vomitum & per ſeceſſum feratur: Per vomitum quidem frequentiùs, ſed ſymptomaticôs (curantur tamen citiùs vomentes, quàm nauſeantes nec vomentes) At vbi per ſeceſſum, ſine catharticorum ope bilis liberaliùs fluit, critica eſt iſta euacuatio, & integra morbi ſolutio. Sed ſi ea rapiatur in cerebrum, aut eius ventriculos ferit, & epilepſiam facit, aut neruorum opticorum originem obſtruit, & cæcitatem parit: Aut in ſpinalem medullam naturæ robore amandatur & fit paralyſis, *cum natura*, inquit Auicenna, *non poſſit propter ætatem, aut imbecillitatem integrè euacuare*: aut potius, vt cenſet Crato, cum in inteſtinis ſit obſtructio, & ea materiam .i. bilem per ſuas vias depellere nequeant, expellit natura eò, quo maximè poteſt. Vult autem ille ab inteſtinis, non

Lib. 3. fen. 2. cap. 2.

Epiſt. 4.

in neruorum principium, ſed impetu quodam ad membra exteriora muſculos, neruos & tendines bilioſam illam & ichoroſam materiam ferri. Malim, cum Fernelio, in ſpinam dorſi, ac in neruorum origines effundi, vnde obſtructis cæcis, per quos ſpiritibus animalibus patere ſolet aditus, meatibus, ſequatur ea, quam videmus, à bile ſub finem febrium intermittentium tranſmiſſa paralyſis. Hanc ſententiam pluribus rationibus conuellere tentauit Rondeletius. Primùm, quòd reſolui & laxari non poſſit vlla pars à bile, quæ ſiccandi & indurandi, ac proinde roborandi potiùs facultatem habet, quàm emolliendi. Deinde, quòd bilis ſub finem febrium intermittentium euicta iam ſit & concocta & adhuc pauca, ideóque in locum tam diſſitum & remotum acceſſum habere difficilem, quem ſibi fingere non poteſt Rondeletius. Aut enim, inquit, à cerebri ſinu poſteriore, aut per vertebrarum foramina ad ſpinam peruenit. Illo modo phrenitidem in febrium illarum declinatione excitaret: Hoc, continuam potiùs, quàm intermittentem febrem pareret: quandoquidem cum ſanguine ſubiiſſe illa foramina neceſſe eſſet. At ſi cum ſanguine eſt, in venis contentam eſſe & putreſcere oportet, vnde ardens potiùs aut continua, quàm intermittẽs accendere-

De part. mor. lib. 6. cap. 10.

Meth. cap. 32.

tur. Ad primam facilè reſpondere licebit, ſi intelligamus paralyſeos cauſam eſſe obſtructionem neruorum ab humore craſſo ſpirituum animalium commeatum, vt modò dicebamus, intercipiente, teſte ipſo Gal. 2. de ſympt. cauſ. & lib. 1. eiuſdem operis cap. 5. non ab humoris alicuius irrigatione vel emollitione, vt falsò putat Rondel. & cum eo Laur. Ioubertus in tract. de paral. qui ex falſa hypotheſi ſolam pituitam tenuem paralyſin excitare exiſtimat. Si obijciat bilem noſtram, non minùs tenuem, obſtruere non poſſe, dicam eò tranſlatam, propter longiorem à fonte diſtantiam, refrigerari & craſſiorem fieri atque hinc aptitudinem ad obſtructionem faciendam conſequi. Ad aliam Rondeletij rationem, negamus bilem eſſe à natura euictam. Eam enim per loca conuenentia excerneret: fateor tamen attenuatam, cum expeditam viam nanciſci non poſſit, per vias ſoli naturæ notas in capita neruorum ferri. Nec neceſſe eſt eam aut febrem continuam aut phrenitidem accerſere, cum eo feratur, non per venas, ſed per cæcos & inſenſibiles meatus, vt fieri ſolet in palindrome crudorum tumorum, etiam in inferioribus corporis partibus erumpētium, quibus deliteſcentibus comata, conuulſiones & ſyncopes ſuperueniunt. Hac eadem ratione ſolui

Cap. 1.

ſolui poteſt non minus ardua quæſtio, quî fit vt progrediente iſto malo ſimul & ſemel inſtar acus infixæ pungantur mammæ, crura, inguina & vniuerſa ferè cutis, vt ne ſtragulorum quidem attactum ferat. Per quas, inquam, vias fertur iſta bilis ab inteſtinis in eas partes? Non per eas venas, quæ ſolæ ad inteſtina pertinent, meſaraicas dictas, à quibus trahi hunc mordacem humorem quis credat? cum nonniſi familiarem alliciant. Neceſſe ergo eſt agnoſcamus cum Hippocrate in humano corpore omnia eſſe transfluxilia & tranſpirabilia, & naturam ſemper, ſi ſit robuſta, materiæ viam moliri, quantumlibet craſſa ſit, & per exiles tranſitura meatus, quando per oſſa abſceſſus etiam fieri ſoleant, vt monet Gal. ad aph. 54. lib. 7. Supereſt alia nobilis quæſtio, huic exercitationi plurimum lucis allatura. Quomodo noſtris paralyticis, illæſo ſenſu, pereat motus. Cum enim ijdem omnino nerui ſint ſenſus atque motus organa, præter paucos admodùm, qui feruntur in ſenſoria, vt oculos & linguam, in quibus alius eſt qui mouet neruus, & alius qui ſenſum impertit, videtur ſublato motu, ſenſum permanere non poſſe, quandoquidem ſpiritus animales, motricis & ſenſificæ facultatis autores, feruntur per vnam eandemque viam, nempe

Marc. Donat. hiſt. mirab. lib. 2. cap. 5.

nerui medullam, cuius partis obſtructis, intercipi vtramque facultatem neceſſe eſt.

Varij varia comminiſcuntur. Alij cuiuſque partis neruos quoſdam eſſe molliores & imbecilliores, eoſque ſenſui dicatos, alios duriores & validiores & hos motui accommodatos. His obſtructis perire motum partium quas mouere debent, illis integris, quibus ſola ſentiendi facultas ineſt, vt neruis qui feruntur ad cutem, quod Pauſaniæ Syro Sophiſtæ contigiſſe ait Gal. cui ex caſu in ſupremam dorſi partem, ſecundum duos minores ſiniſtræ manus digitos atque medij partem dimidiam ſenſus, integro motu, perijt. Alij referunt ad maiorem vel minorem ſpirituum copiam, quia ad motum pluribus ſpiritibus opus eſt, quàm ad ſenſum, cum ad agendum maiore robore opus ſit, quàm ad patiendum. At mouere eſt agere. Sentire verò pati, ex Ariſt. Sed neutra ſententia mihi arridet. Nec enim nerui omnes duri motorij ſunt ( vt ad primam reſpondeam ) nec omnes molles ſenſifici, vt patet ex ſecundæ & ſeptimæ coniugationis neruis, qui oculi & linguæ motui dicati ſunt, & tamen molliores ſunt, quia cerebro propiores: ac ſextæ coniugationis neruulo ſtomachico dicto, qui ſoli oris ventriculi ſenſui inſeruit, & tamen durior eſt, quia à cerebro re-

Lib. 3. de loc. aff. cap. 10.

Laurent. Anat. lib. 4. quæſt. 8.

Digitized by Google

motior. Sed vnus idemque neruus, vt dictum eſt, & ſentiendi & mouendi facultatem defert, pro varia partis in quam inſeritur conditione. Nam ſi in muſculos, qui ſunt immediata motus organa, diſtribuatur, eis mouendi facultatem impertit, ſi in cutem, quæ eſt tactus organum, inſeraturo ſolam ſentiendi facultatē communicat, quia deſunt illi muſculi, præterquam in facie, & potiſſimùm in fronte, vbi panniculus carnoſus vicem muſculi ſupplet, per quem nobis frontem corrugare licet, non aliam vllam corporis partem, niſi fortaſſe aures quibuſdam, quos hoc cum veterinis animalibus toto corpore ſe excutere ſolitis, commune habere audio. Secunda ſententia probabilior eſt, ſed altero membro claudicat. Inde enim ſequeretur ſenſum perire non poſſe, niſi prius amiſſo motu. At ſæpe ſæpius fit vt, integro motu, pereat ſenſus, vt conſtat ex adducto Pauſaniæ exemplo. Nec ſatisfacit quod reſpondent ad epilepticos, comatoſos, phreniticos, elephanticos & dormientes, quibus manente motu ſenſus eſt oblæſus, vel propter imaginationem læſam illos non ſentire, vel propter ſiccitatem quandam imaginariam (ſentiunt certè Elephantici, ſed obtuſiùs & obſcuriùs.) Nam Pauſaniæ, cui non erat imaginatio læſa, ex poſita ratione debuit mane-

re ſenſus. Maius enim includit minus. Satis erat ſpirituum ad motum: Ergo etiam ad ſenſum, ad quem pauciores ſufficiunt. Quærenda igitur alia ratio eſt. Nos vt hunc nodum ſoluamus, neruum, cum principe Auicenna, in duas ſubſtantias diuidemus medullarem vnam & internam: membranoſam alteram atque externam. Per illam neruus vim motricem conſequitur, eamque trahit à cerebro, quî cum ſubſtantiam habet communem, vt nihil dicam de ſpiritibus per eam influentibus. Per hanc, vim ſenſificam adipiſcitur, eamque trahit à membranis cerebri, quibuſcum habet communem ſubſtantiam. Illa quouis humore obſtructa motus aboletur. Hac præ nimia humiditate laxata & reſoluta, ſenſus deperditur. Si vtramque partem humor occupet, paralyſis eſt abſoluta: Sin alteram tantùm, nunc perit ſenſus, integro motu, nunc motus, integro ſenſu, vt in noſtris paralyticis, quibus neruorum ſubſtantia medullaris bile infarcta & obſtructa eſt, ideóque motu priuantur. Membranoſa verò & fibroſa ſana eſt, coruſcantibus aut in eam tranſmiſſis ab animali facultate, tanquam Sole, ſpirituum radijs, quæ eſt elegans Galeni comparatio, 1. de ſympt. cauſ. Ideoque biliosæ materiæ appulſu ſe laceſſitam ſentit, ſed & externas aëris iniurias, frigus impri-

mis, moleſtiſſimè ferre compertũ eſt. Aliorum porrò ſymptomatum, vt epilepſiæ & cæcitatis cauſæ ab ipſis cerebri ventriculis & origine nerui optici, illis quidem mordaci iſto humore vellicatis, hoc verò obſtructo petendæ ſunt.

---

## *De ſignis diagnoſticis colici popularis.*

## CAPVT VI.

Colicum dolorem ante Tiberium Imperatorem nulla norat ætas, *nec quiſquã prior ipſo Imperatore ſenſit*, inquit Plin. *magna ciuitatis ambage, cum edicto eius excuſantis valetudinem, legeret nomen incognitum.* Ego verò vulgo quidem incognitum fuiſſe facilè credo: ſed medicis rem ſaltem ſatis cognitam ex eo liquidò conſtat, quod Hippocrates ante quingentos annos lib. περὶ ἀνατομῆς colum inteſtinum nominatim deſcripſerat, & eius dolorem in epid. in prorrh, & alibi nomine ἀλγήματος περὶ ὀμφαλὸν comprehenderat. Deinde Diocles Caryſtius Hippocrati fermè coæuus, eius eſſentiam luculentis ſcriptis prodiderat, vt colligere licet ex Cornelio Celſo, qui circa Tiberij tempora florebat. *Diocles*, inquit, *Caryſtius tenuioris inteſtini morbum* χόρδαψον, *plenioris* εἰλεόν. *na-* Lib. 26. cap. 1.

*minauit. A pleriſque video nunc illum priorem* εἰλεὸν*, hunc* κολικὸν *nominari.* Quam denominationem ipſe Galenus, qui Celſo centum circiter annis poſterior fuit, amplexus, vt patet ex lib. 6. de loc. aff. cap. 2. poſtquam ſtatuit plura eſſe inteſtina, ieiunum tenue ſiue εἰλεὸν, cæcum & colum (quibus etiam poſteritas primum addidit duodenum, & vltimum rectum) miratur, quo modo non ſolum Medici omnes, ſed etiam populares, vehementiſſimos quoſque dolores in quacumque ventris parte ſæuierint, ad colum referant. Id quoque tandem ſibi probari ait, vt non niſi corpore illo craſſo & denſo contineri poſſit is humor, aut flatus, qui colicum dolorem tam vehementem, tamque diu perſeuerantem committit. At qui ſublimiora & tenuiora inteſtina occupat, ileon, à nonnullis etiam chordapſum vocari ſcribit. Quæ diſtinctio hactenus obtinuit, vt hic ſit morbus in ſitu, per quem inteſtina intorquentur & replicantur. Colicus verò referatur ad obſtructionem per quam fœces & humores erumpere prohibeantur. Vterque tamen communem habet dolorem, ſed magis eſt punctorius in ileo, quàm in colico. Vterque communem habet alui adſtrictionem, ſed in ileo nihil præter fæces, infra voluulum contentas, per enemata &

medicamenta, excernitur. In colico etiam humores. In vtroque, colico ſcilicet noſtro populari & ileo, febris eſt, ſed acuta magis in hoc, propter inflammationem coniunctam. Ex quibus ſignis colicum dolorem ab iliaco diſtinguimus. Nunc verò popularis noſter à pituitoſo, & flatulento differt, quòd illius dolor ſit lancinans & mordax, non in inteſtinis tantùm, ſed etiam in lumbis, in cruribus, pectore & alijs partibus. Dolor à pituita vel flatu diſtendens eſt & grauans, iſque tantùm circa epigaſtrium dextra præſertim parte. In populari non colum tantùm, ſed etiam tenuia inteſtina afficiuntur, vt teſtatur dolor imi ventris, vbi ea ſita ſunt. In pituitoſo & flatulẽto ſolum colum afficitur, quod indicat dolor ſupra vmbilicum, vbi ſitum eſt colum. Popularis perſeuerat etiam fluente aluo, contra quàm in alio, in quo flatu emiſſo, aut excreta pituita dolor ſtatim quieſcit. In populari excreta ſeu per vomitum ſeu per deiectionem omninò biliofa ſunt, & cum ardore atque morſu exeunt: In pituitoſo humor vitreus (id eſt, pituita vitro fuſo tùm colore tùm ſubſtantia ſimilis) excernitur, iſque frigidiſſimus, qualem ſe percepiſſe narrat Gal. 2. de loc. aff. cùm vehementiſſimo illo dolore, terebra perforanti ſimili, exerceretur. In populari, ſi bilis vomitus non

ſuccedat, ſingultus præſto eſt. In alio aut ſolius pituitæ vomitus, aut ſaltem ſola nauſea. In populari, vrina bilioſa & acris, eaque ſæpius cum ſtranguria emittitur, vt plæriſque imponat, exiſtimantibus ſe non colico dolore, ſed calculo cruciari. In alio, vrina alba, tenuis & cruda eſt. In populari, calidioribus tùm cibis, tùm medicamentis læduntur ægri, à temperatis aut etiam frigidis iuuantur. In alio læduntur à frigidis, iuuantur à calidis. Denique quod pituitoſo & flatuoſo deeſt, in populari os amaricat, ſitis vrget, cibi faſtidium perpetuum, vigiliæ aſſiduæ, hypochondria æſtuant, arteriæ palpitant, & febris lenta miſerum ægrum conficit, quem prius tabidum, quàm doloris expertẽ conſpicere licet.

## *De ſignis prognoſticis.*

## Capvt VII.

Minus periculosè ægrotant, quorum naturæ, vel ætati, vel conſuetudini, vel tempori familiaris morbus eſt, ex aphor. 34. lib. 2. Maxima enim & vehementiſſima eſſe debet cauſa, quæ cuiuſque naturæ, ſexui, ætati, conſuetudini, & tempori contrarium morbum infert. Indè eſt quòd & ſi his omnibus & ſingulis communis

communis eſt hic dolor, tamen in mulieres crudeliùs ſæuit, quàm in viros (etſi rariùs illæ eo morbo corripiantur) in ætate prouectos quàm in adoleſcentes, in exteros & huic cœlo non aſſuetos, quàm in inquilinos, & hyeme quàm æſtate, quanquam Autumno frequentior eſt. Porrò cum humor bilioſus, qui ex quauis cauſa, ſiue externa, ſiue interna exuſtus eſt, craſſior factus fuerit, hæret diutiùs in præcordijs, antequam caloris natiui robore atque conuenientibus medicamentis attenuatus fuerit, ac vel per aluum, perfecta criſi, vel, vt ſæpius contingit, imperfecta, & per metaptoſin, in epilepſiam vel paralyſin degenerauerit: vnde fit vt quotieſcumque in eiuſmodi ægros primis morbi inſultibus incidimus, diuturniorem fore morbum, ſi non etiam periculoſum, certò pronuntiare non dubitemus. Audentiùs Paulus ſuo ſæculo, & nos quoque, primis in hac regione affectus iſtius temporibus, cum ferocior erat, quàm nunc eſt, lues iſta omnes ex hoc dolore factos epilepticos perituros, paralyticos verò; veluti criſi cauſa tranſlata, ſeruatos iri ſtatuere poteramus. Nunc verò mitiùs nobiſcùm agere videtur, adeò vt epileptica conuulſio, non ſecus ac paralyſis, immo ſæpe fœliciùs, hodie colicum dolorem ſoluat, & præter paucas admodum cu-

tis puncturas, ſi conuenientibus remedijs & ex peritorum Medicorum præſcripto, debita victus ratione vtatur ęger, nulla grauiora ſymptomata incurrat, niſi fortè tenella iuuenum, venere, vel vino ſolutorum & exhauſtorum, aut mulierum mœrore confectarum corpora, quibus paralyſis ex eo morbo facta eſt vniuerſalis, laryngis quidem & omnium artuum, & tandem marcore atque maraſmo conſumpta, non tam mori quàm deſinere viſa ſunt.

## *Colici popularis curatio.*

## Capvt VIII.

OMne ſymptoma morbum, vt vmbra corpus ſequitur, atque huic illud tam arcta catena cohæret, vt ſublato morbo, ſymptoma tolli neceſſe ſit. Colicus noſter popularis affectus ſymptoma eſt, idque primi generis, in functione ſenſifica læſa, cuiuſcunque partis ſenſilis, cuius dolor definitur, moleſtus ſenſus confertim factus. Hunc ſi tollere & expugnare eſt animus, morbum, à quo & per quem ſubſiſtit, profligare priùs neceſſe eſt. Sed quoniam nonnulla ſymptomata interuenientibus quibuſdam alijs ſymptomatis à morbo proficiſcun-

Digitized by Google

tur, vt ſcribit Gal. lib. de ſymptomatum cauſis, humoris, qui hunc affectum committit, acrimonia, quæ eſt ſymptoma qualitatis mutatæ, doloris eſt cauſa, & illius intemperies, quæ morbus eſt. Neque enim humor bilioſus propriè eſt doloris cauſa, ſed eius qualitas acris & mordax. Nam, vt rectè docet Philoſophus, accidentium principia & cauſæ ſunt accidentia. Ergo, vt pro varia cauſarum ſerie therapeiam inſtituamus, & vnamquamque ſuo ordine & conuenienti methodo ſummoueamus, ſcire licet, quod antea poſitum eſt, bilem illam acrem ab hepatis calidiori intemperie, aut etiam à præuia, vt plurimùm, febre ſuſcitari: febrem verò ab obſtructione, obſtructionem à cruditate & impura humorum in prima regione genitorum colluuie, ad cuius ſynarthriſmum, quia non praua tantùm victus ratio, ſed etiam aër & reliquæ omnes externæ cauſæ concurrunt, in earum, quæ huic malo præcipuam occaſionem præbent, declinatione primam curam conſtituendam eſſe arbitror, ex Galeni conſilio, qui vnamquamque priùs quæ efficit cauſam reſcindēdam eſſe ait: deinde ad illam quæ ab eadem cauſa facta eſt ægritudinem accedere ſuadet, artis paruæ cap. 89. Ab aëre itaque, quem primam & potiſſimam omnium popularium morborum

cauſam ſtatuimus, ſumpto exordio, conſtanter aſſerimus & frequenti experientia compertum habemus, certiſſimum huius affectus remedium ſitum eſſe in cœli & ſoli mutatione.

Lib. de peſt. Id ante nos vidit doctiſſimus Droëtus. *Non potuerunt*, inquit, *virgines huius cœnobij* (caſam Dei ſupra memoratam intelligit) *aliter ſibi ſalutem quærere, quam fuga, & loci mutatione.* Idem experti ſumus nuper in omnium ordinum monachis & præſertim in Capucinis & Fulienſibus, quorum totas colonias anno ſuperiore ablegauimus, & ſtatim vbi aëre Pictonico exularunt, hunc penitus dolorem, vt ſanctus olim vir anguem, ſine vlla veneni labe excuſſerunt, ac ſanitatem, ſine vllo alio artis præſidio,

1. de natu. hum. recuperarunt. Hoc ipſum olim monuerat Hippocrates, vt in aëre, qui morboſa inquinamenta contineret, ſolum, quoad fieri poſſet, verteretur.

De re. ruſt. lib. 1. cap. 3. Ideóque prudenter Columella in emendo agro cæli ſalubritatem imprimis ſpectandam eſſe monet. *Nemo enim*, inquit, *debet facere ſumptus in peſtilenti, quamuis feraciſsimo, pinguique agro, cum incertum ſit, an dominum ſinat ad fructus peruenire. Nam vbi ſit cum orco ponenda ratio, ibi non modò perceptio fructuum, ſed & vita colonorum eſt dubia, vel potius mors quæſtu certior.* Tanti ergo ma-

li remedium exteris & peregrinis præſto eſt, nec de alio cogitandum, poſtquam nihil eos neceſſe eſt, cum tanto ſanitatis detrimento pertinaciùs in hac prouincia morari, niſi eam ſibi dixerint viuendi legem, nihil vt à cauſis externis lædantur. Sed nobis quos hæc terra naſcentes excepit, natos alit & liberaliter fouet, neceſſariò, qualis occurrit aër, ferendus eſt. Eum tamen diligentia noſtra & meliorem & ſalubriorem efficere poterimus, ſi frigidiorem, & humidiorem, qualis eſt imprimis matutinus & veſpertinus, qui hìc grauiſſimus eſſe ſolet, & catarrhorum feraciſſimus, vitauerimus; ſi ventrem lineo panno multiplici, aut etiam charta papyracea munierimus & imos pedes panniculis vel ſplenijs, hyeme præſertim, obuoluamus. Et certè huic malo videmur facti magis obnoxij, poſtquam pellitorum veſtimentorum vſu, noſtris maioribus plurimùm conſueto, abſtinere cœpimus. Hic tamen moneo, ne caput (quod ſemper apertum & ne pileis quidem vnquam, niſi fortè in ſacris, ludis, peregrinationibus aut militia, aut liberti noui, aut ægri, aut ſenes velarunt, antiqui) pluribus integumentis operiatur, ne quod indies fieri ſolet, plus æquo calefactum caput, inſtar cucurbitulæ, quod ait Hipp. ab vniuerſo corpore va- 4. De morb.



Digitized by Google

pores attrahat, variarum fluxionum in oculos, dentes, fauces & pectus autores.

Secundum locum in externis & nonnaturalibus cauſis ſibi ſuo iure vendicant alimēta. Cum enim vita noſtra nutritione conſtet, quibus nutriamur, plurimùm intereſt. Magni autem ſua intereſſe putent, qui ad eum affectum propenſi ſunt, vt iuuenes calido & ſicco temperamento, habitu ſtrigoſo, cachectici & ex flauo pallidi. Vtantur ergo cibis euchymis & concoctu facilibus, atque à contrarijs, crudis ſcilicet, varijs, & praui ſucci, calidioribus imprimis alimentis abſtineant, vt piperatis omnibus, ſalſis & acribus. Craſſa ac terrena cibaria, qualia ſunt aues paluſtres, venaticæ carnes, bubulæ, leporinæ, atque omnes ſale conditæ, piſces omnes, præter ſaxatiles, braſſicæ, legumina, tubera, fungi & omnes fructus crudi, cucurbita maximè, quam occulta quadam vi colo aduerſam eſſe teſtatur Trallianus, magnum imbecillo ventriculo negotium faceſſunt, & multa prauorum humorum ſaburra viſcera ſufferciunt. Inedia & nimia abſtinentia bilioſis omnibus eſt inimiciſſima. Sic enim efferatur bilis, & in os ventriculi irruens cardiogmum adfert, & ægros proniores ad iracundiam facit. *Sed hæc animi aſperitas dulciore ſucco mitigatur*, inquit Plin. *Le-*

Lib. 10 cap. 1.

Lib. 11. cap. 24.

*nit tranſitum ſpiritus, & molliores facit meatus. Experimenta in ſe cuique: nullius non ira, luctuſque, triſtitia & omnis animi impetus cibo mollitur.* Sed cum iam dolores vrgent, is leuiſſimus exhibēdus eſt, ex iuſculis carnium gallinacearum vitulinarũ & ſimiliũ, earundem conſummatis, expreſſis, gelatina, &c. Iuſcula verò alterentur lactuca, intybo dealbato, cæteriſque oleribus refrigerantibus & humectantibus. Hac enim victus ratione refrigerante & humectante Italus ille medicus hoc affectu laborantes, apud Paulum, omnes perſanabat.

Pro potu verò frigidam exhibebat, qua etiam ſe omninò dolorem leuaſſe & totum morbum ne amplius repeteret prohibuiſſe gloriatur Alexander Trall. in ijs præſertim quibus neque vlla Lib. 10. cap. 1. eſſet principis partis inflammatio ſuſpecta, neque vires infirmæ: Addiderim ego libenter profuturum aquæ vſum ijs maximè, qui eius potui ſunt aſſueti, alioqui ptiſanæ vſus præferendus. Vinum raró prodeſt, ſæpe nocet, Pictonicum imprimis, quod propter acerbitatem & auſteritatem natiuam ventriculum & inteſtina laceſſit, eorúmque calorem naturalem frangit & alienum introducit. Sed tanta eſt virium proſtratio, vt cum plures dies inter tormenta peregerint ægri, deficere in horas ſe putent, niſi

Digitized by Google

vino diffluentes ſpiritus reuocent, animumque fatiſcentem recreent. Iſtud illis eſt verum Nepenthes, quod, vt Helena calamitatibus anxio Telemacho, miſeris ægris noſtris de ſalute deſperantibus, non quidem pro potu ordinario, ſed antidoti vice, propinare cogimur. Optandum verò eſt, vt ſit generoſum lene & maturum quale eſt Turonenſe, Andegauenſe aut Aurelianenſe, quæ omnia huc facilè aduehi poſſunt niſi ſuppetant noſtratia, quæ vetuſtate, eam, quam in illis deſideramus maturitatem conſecuta ſint. Tum neceſſe eſt vt aqua multa temperentur. Anxietatem enim oſcitationem, horrorem, vinum æquali aqua temperatum ſoluit ex aph. 56. lib. 7. Qua tamen autoritate, non poſſumus dimoueri à noſtra ſententia, cum hæc ſymptomata à materia frigida & flatulenta ortum ducant, & noſtra à calida & acri, quæ vſu vini exacerbatur. Sed interdum læſio aliqua, maioris mali, id eſt integræ virium iacturæ metu, toleranda eſt. Ideóque ſobriè & moderatè vtantur, non abutantur, præcautionis dictæ cauſa, non curationis, quam omne vinum moratur.

Odyſſ. lib. 4.

Somnus placidus & mediocris qualem definire poſſumus ſeptem, vt plurimùm, horarum ſpatio, in ætate conſtanti, iſque nocturnus, non

diurnus

diurnus humorum acrimoniam temperat, corpus humectat, laſſitudinem leuat & vrgente dolore, ſi qua arte procurari poteſt, dolorem mitigat. Contrà vigiliæ, præſertim nocturnæ, corpus calefaciunt, humores incendunt, laſſitudines adferunt & ventrem crudis humoribus & flatibus implent. Interdiu ergo vigilandum, noctu tantùm dormiendum, niſi longis fortè diebus, in quibus Celſus ſuadet meridiari, id eſt, vt loquitur Varro, inſitio otio diem diffindere. Id verò longè à paſtu fieri debet, quia eo tempore ſomnus caput maximè replet. Notat Valeſcus de Taranta inſignis olim Gallorum medicus, ſe neminem vnquam vidiſſe à paſtu indormientem, qui non apoplexia perierit.

Scitúm eſt illud Hippocratis ἄσκησις ὑγιῆς ἀκορίη τροφῆς. ἀοκνίη πόνων. I. optimum eſt ſtudium ſanitatis, citra ſaturitatem veſci, & impigrum eſſe ad laborem: ſiquidem ignauia corpus habetat; labor firmat: Sed videndum, vt labores cibos præcedant, & exercitatio citra fatigationem ſit. Multos enim vehemens & laborioſa exercitatio, cœlo præſertim æſtuoſo, in hunc affectum præcipitauit præſertim ſudore non deterſo, vnde, difflatione prohibita, humores incenduntur, & exercitij, alioqui ſalubris, fructus perit. Sect. 7 lib. 6. Epid.

Porrò corpus ab excrementis mundum &



Digitized by Google

vacuum, quoad fieri poterit, conſeruetur, nec obſtrui vaſa, iis excernendis dicata, ſinantur. περιττώματα enim dicuntur, quaſi ſuperflua, alui præſertim, cuius adſtrictio omnium confuſio eſt, apud Hipp. Ideoque huic malo præſertim ſunt obnoxij, quibus familiaris eſt alui retentio. Procuretur ergo facilis deiectio, primùm cibis humidioribus, vt iuſculis pinguioribus oleribus alteratis, oleo, butyro, fructibus horarijs & fugacibus æſtate; hyeme pomis & prunis coctis; deinde etiam, morante nihilominus aluo, mollientibus & lenientibus enematis.

Caueri denique debent omnia grauia animi pathemata, vt ira, mœror, inuidia, &c. quorum loco, totis viribus, amplectenda eſt animi ſecuritas, quam εὐθυμίαν vocat Hipp. Galli ſatis appoſitè, *contentement*. Hæc maximi eſt ad huius morbi præcautionem momenti, quemadmodum ἀθυμίη, quæ eſt deſperatio & animi deſponſio, frequentior huius affectus cauſa eſſe ſolet. Non enim minus corporis temperamentum immutatur ab animi pathematis, quàm animi mores à corporis temperamento, vt integro libro docet Galenus, quòd animi mores ſequantur corporis temperamentum. Epid. 5.

Venerem quinetiam immodicam huic malo occaſionem dediſſe frequenti experientia didi-

cimus, vt antea dictum eſt. Quibus ergò, pro coniugali officio, exercenda eſt, quò rarior, eò tutior. Quibus ex voto non licet, vel qui nondùm connubij lege tenentur, abſtinere omninò debent. Nullus enim veneris vſus ſalubris eſt, vt ex Epicuro refert Gal. corporis robur minuit, animum frangit, vitam breuiorem efficit. Hinc Iulius Scaliger meritò deridet eos, qui ſemen retentum melancholicos efficere, & concoctionem prohibere aiunt. Exoneratur enim, inquit, natura, vbi oppreſſa eſt, per ſomnia. Veneris itaque expertes, fortes eſſe viros, magnos luctatores, magnos athletas commemorat ex Platone, vt Iccum Tarentinum, Criſſonem, Theopompum.

Artis parua. cap. 86.

Exercit. 269.

De legibus lib. 8.

Atque his omnibus ſobriè, temperatè, placidè, iucundè & caſtè viuendi artibus, cruditatũ cumulandarum occaſio vitabitur, & quæ ex ijs naſci ſolent, obſtructionibus, atque adeò febribus & doloribus bilioſis obuiam ibitur.

At ſi iam ægrum malè habet iſte dolor, ſi bilis turget, ſi ventriculus & inteſtina torqueri incipiũt, ſi ſtare loco neſcit æger, ſi noctem inſomnem ducit, ſi extrema frigent, confluentibus ab vniuerſo corpore in ventrem humoribus, cominus immediata morbi cauſa, bilis inquam, omnibus machinis explodenda eſt, ex præcepto di-



Digitized by Google

tini ſenis lib. de veteri medicina citato ὅταν πικρότης, inquit, τις ἀποχυθῇ, &c. id eſt, ſi amarus aliquis humor, quem bilem nuncupare ſolemus, effuſus fuerit, quænam anxietates, æſtus, & impotentiæ detinent? Verùm ab illa liberati, aut ſpontanea purgatione, aut medicamento, modò loco & tempore quid horum factum fuerit, doloribus planè & calore defunguntur. Et paulò poſt. Mordere non deſinit, donec ea bilis expurgata fuerit.

Verùm hoc opus, hic labor. Nam cum ex eiuſdem autoris ſententia cocta medicari oporteat, non cruda: fluida, non contumacia: tenuia, non craſſa: Immò ipſe citato libro dicat, quandiu humores incocti & minimè contemperati fuerint, nec dolores, nec febres placari poſſe; ideóne bilioſi humoris concoctioni & mitificationi prius incumbemus, quàm ad eius expurgationem accingamur? Minimè verò. *Nam cùm impetu quodam præcipiti humor in inteſtina irruit* (inquit doctiſſimus Duretus) *ut ſæpe fit in tempeſtate peſtifera, tunc medicamentum analogum influenti materiæ, dolorem facienti, præſcribendum, quod humorem citatum & motu quaſi ferocientem excludat.* Alioqui ſi bilem vel eccoprotico medicamento, vel apozemate leuiter laxante commoueris,

In Holler. praxin de col. dol. cap. 41.

Digitized by Google

camarinam moueris, & dolores antea leuiores, vehementiſſimos effeceris: quemadmodum vrticam ſi leuiter & cunctanter attingas, pungit: ſi vehementiùs comprimas, minus lædit. Detrahenda ergo eſt craſſior ea bilis, altiùs impacta & incuneata, analogo cholagogo, eoque aperiente & ſoluente contumaces, quæ in præcordijs multæ ſubſunt, obſtructiones, vt Hiera Pacchij triplicata colocynthide; confectione Hamech: confectione de dactylis, in qua dactyli, penidiæ, & amygdala mellis vicem ſuppleant: electario de citro ſolutiuo: electario de ſucco roſarum, vel diacartamo: quæ quia maiore doſi ſingula exhiberi debent, nauſeabundus ventriculus vix excipere poteſt, immò ſæpius cum ingenti vomitu reijcit. Ideóque, vt ægris aliqua in parte ſatisfaceremus, poſtremis annis minorem purgantium molem excogitauimus, ex ipſo puluere elect. de citro ſine ſacch. & conſeruis, ex pilulis minoribus Monſpelij dictis, ex pilulis ileo morbo ſacris à Rhaſe 9. ad Almanſ. deſcriptis, ex vtroque Crollij panchymagogo & ſimilibus, in forma boli vel pilularum exhibitis. Quibus remedijs etiamſi bilis copioſa excernatur, cum plurima pituita permixta, repetunt tamen paulò poſt dolores non minus punctorij & mordaces, niſi ferocientis

bilis, quæ multa ſupereſt, acrimonia oleo amygdalorum dulcium, vel oliuarum, cui ne diuturniore mora incendatur, ſyrupum roſ. ſolut. addimus, vel ipſum oleum roſ. ex infuſio. per plures dies interdùm feliciter propinamus, laxata ab eo aluo & per plures dies cum ſummo ægri leuamine fluente: interdùm verò multùm compreſſa aluo reſtitat bilis, dolores recrudeſcunt, tuncque ſine mora repurgamus eodem aut ſimili cathartico: redimus ad vſum olei, aut ſi crudeliùs, quod ſæpe fit, dolores recurrant, & viſcerum intemperies, præcordiorumque æſtus anxium ægrum faciant, ſanguinem mittimus è brachio vel pede. In maximis enim doloribus nullum præſentiùs remedium ea vacuatione, non quidem ad lipothymiam, vt vult Hippocrates, ſed ad iuſtam & viribus reſpondentem quantitatem. Cæterùm in hoc remedio celebrando maximum negotium nobis faceſſunt mulierculæ & imperitum vulgus, quibus quia poſt aliquot dierum dolores plæriſque brachia reſolui & paralytica fieri incipiunt, iſtud ſymptoma à phlebotomia inuectum eſſe perſuaſum eſt, nec vlla ratione, vel vrgentis doloris, vel æſtuantis in præcordijs bilis, adduci poſſunt, vt μεγάλῳ πάθει, quemadmodum de phlebotomia loquitur Aretæus, μέγα βοήθημα adhi-

Gal. ad aph. 23. lib. 1. Aph. 23. lib. 1.

beant. Neſciunt enim paralyſin ex neruorum eſſe non ex venarũ obſtructione; atque ad neruorum obſtructionem ſoluendam, multò magis prohibendam, non eſſe phlebotomiæ par remedium: Nec nobiſcum obſeruare volunt, tam eos quibus non eſt miſſus ſanguis, quàm quibus mittitur, ex eo affectu paralyticos fieri. In hoc tamen remedio vſurpando hic, vt & in alijs morbis, ſummam eſſe medici prudentiam neceſſe eſt, eiuſque peragendi occaſio diligenter & ſuo tempore captanda eſt. Ea enim eſt curationis anima, vt notat Hollerius ad 1. Hipp. aph. Etſi verò remedium iſtud coniunctam cauſam non tollit, antecedentem tamen vacuat, & inflammationem prohibet. Intereà non ſunt negligenda, quæ tùm iniecta, tùm admota ſolatium aliquod ægris adferre poſſunt, vt frequentia enemata ex lacte & melle, ex iuſculo omaſorum, ex vino & oleo, & ſimilibus: fotus & ſemicupia ex decoctis mollientibus & relaxantibus; atque etiam ipſius aquæ fluuialis balneum, cum præſertim bilis iam in habitum rapta cutem moleſtiſſimè vellicat, & acus inſtar quaquauerſum ferit. Mirum hoc fortaſſe quibuſdam videbitur. Mirabuntur magis ſi ſciant nos etiam media hyeme, tempore tamen pluuio, ægros linteis incluſos fluuio immergere.

Digitized by Google

coactos, plærosque ſanitati reſtituiſſe, cuius rei teſtes omnes ciues habemus. Sed præter anodyna iſta, poſtquam multiplici purgatione liberati ſunt viſcerum & meſenterij infarctus, & euacuata bilis, dolori ipſi, quatenus dolor eſt, ſua paregorica vtiliter adhibemus, & cum amygdalatis vel Iulepis propinamus ſyrupum nenufarinum, papauerinum, atque etiam ex bolo vel pilula, catapotia de cynogloſſo, extracta ſucci Thebaici in aqua vini, per infuſionem pulueris diambræ rubefacta, diſſoluti, & ſimilia narcotica minus calida, cuius generis ſunt multa apud Chymicos laudani nomine. Nam à theriacæ & philonij Romani vſu plurimum ardorem & incendium ægri noſtri concipiunt. Sic ſedatis vtcumque doloribus, calidam intemperiem in præcordijs ſuperſtitem refrigerantibus & ſine calore aperientibus apozematis emendamus, & reliquias materiæ morbificæ, additis noſtris laxantibus, exhaurimus. In quem poſtea ſcopum lac aſininum, aut caprillum recens ab vbere mulctum, in plures dies præſcribimus. Sed, omnium inſtar, aquarum medicatarum vſus huic indicationi ſatisfacit, Puguenſium imprimis, atque Cauſenſium, quibus inteſtina robur priſtinum recuperant, bilis illa craſſa, ſi quæ adhuc in ijs ſtabulatur, attenuatur,

tur, & tum per aluum, tum per vrinas expurgatur. Sed ô miram Dei prouidentiam! Iuxta venenum naſci voluit alexipharmacum: iuxta thoram anthoram ſiue antithoram. Hactenus à longinquis Niuernenſis agri fontibus, aut Pyrenæis ſcaturiginibus doloris noſtri popularis remedium petijmus, &, ô parum cauti, proximos & ab vrbe nouem tantùm miliaribus ſemotos, non minus ſalubres, Rupipozæos fontes, præſentia mali noſtri remedia, neſciuimus: quanquam certè ante annos triginta aliquo in pretio fuerant, & nos ante octodecim annos hydropem incipientem earum aquarum potu perſanaueramus. Sed neſcio quo malo fato, aut incuria noſtra interciderant, donec à biennio diligenti cûra & ſedula opera Illuſtriſſimi Equitis D. Caſtanæi Abennij, vrbis Rupipozææ Domini, àb alienis ſcaturiginibus, quæ eas vitiarant, ſegregatæ quamplurimis ægris, varij generis morbis conflictatis, ſed omnibus præcipuè colicis, atque etiam ex hoc affectu paralyticis inſignem opem attulerunt. Quam fruſtra à diæta ſudorifica, vt putat Auicenna, aut à calidioribus balſamis, aut oleis ſperemus. Hanc enim etiam, ne quid intactum præteriremus, magno ægrotantium malo, tentauimus, quibus ſudor vi expreſſus puncturas in cute auxit, & to-

Lib. 3. fen. 2. cap. 3.

tum corpus incendit.

Iam liquet, quantùm ſit operæ & negotij in colici doloris cauſis radicitùs amputãdis; adeò nouis ſymptomatis & nouis mutandi conſilij occaſionibus ſępiùs interturbamur. Hinc etiam liquet, quantùm infirma futura eſſet illa Galeni therapeia, quam inſtituit lib. 1. de loc. aff. & 12. Meth. ad colicos dolores à bile, vel ex hiera ſimplici, vel ex alica & mali punici granis vel diluto rhois cremore, vel etiam theriaca. Quinimò morbi grauitas ea eſt, vt extra artis cancellos, & à maioribus pręſcriptam materiam medicam nos ſæpe traxerit, & quæ erant ab illis prætermiſſa, à Chymicis mendicare coëgerit, Crocum metallorum; Hydrargyrũ meteoriſatum, cum aqua ſua ſubactum, & multiplici exaltatione mitigatum: idem cum Larbaſo in retorta deſtillatum & diligenter ſuo ſale purgatum, & alia eiuſdem generis, interdùm cum magno ægrorum leuamine, interdùm nullo, præſertim vbi illis deeſt, ex lacrymæ poſtremæ volubilis additis granis aliquot, neceſſarium calcar. Plæraque enim ſunt, quæ quo largiùs ſumuntur; celeriùs erumpunt, vt de elleboro ſcribit Plinius. Sic iſta alioqui deleteria catharticis acutioribus excitata, vim ſuam purgantem ocyùs exerunt. Parciùs iſta tamen, nec niſi τοῖς ἱεροῖσι τὰ ἱερά.

Lib. 25. cap. 5.

## *Appendix ad libellum de colico dolore bilioſo.*

ETſi colici dolores, quos deſcripſimus, ſub bilioſi affectus idea paſſim proponantur; tamen atrabilarium pathos agnoſcet quiſquis tam dira, quæ notauimus, ſymptomata eorumque cauſas diligẽtiùs perſcrutabitur, qui æſtum in præcordijs obſeruabit, qui arteriæ cœliacæ moleſtum & vehementem pulſum dolorum iſtorum ferè ſemper indiuiduum comitem explorabit. Quæ omnia arguunt ardorem bilis illius peruſtæ & præaſſatæ, quam feruidior primùm iecoris intemperies genuit, & quæ deinde à liene prolecta aut in eum amandata rurſus ita incanduit, vt malignas illas qualitates induerit, quas Hipp. παρακεχυμένῃ καὶ ἐκκεχυμένῃ χολῇ tribuit Lib de vet. med. ὀξύτητα καὶ δριμύτητα, quarum vim exercet non tantùm in inteſtinorum cauitate, ſed etiam, in eorum intimis tunicis, quibus altiùs immerſa & impacta eſt; ἀναπεπόμενος χυμὸς δακνώδης εἰς τοὺς χιτῶνας τοῦ πεπονθότος ἐντέρου vt loquitur Gal. Et ne quid de- 3. De lo. aff. ſit ad vehementiam doloris illius, qui ſic crùciat, ait Celſus, vt vitæ ſpatio nihil demat, quotidie aliquid eius humoris in ea loca confluere

ſolet, exorta illic quaſi rheumatica aliqua diatheſi, vnde nouo ſubinde eiuſdẽ humoris affluxu noui dolores oriuntur, qui conuulſiones crebras accerſunt, per ſympathiam oris ſuperioris ventriculi & cerebri, vt putat Gal. aut per ſympathiam neruorum ſexti paris, qui in omnes ventris inferioris partes diſtribuuntur, quos ſi ſero acri & ferino imbui & nimiùm madeſcere contingat, colicos dolores eóſque acerbiſſimos atque etiam conuulſiones horrendas excitare obſeruauit doctiſſimus Riolanus in Anthropographia.

12. Meth.

Ad hunc maligni humoris affluxum reuellendum atque vna etiam præferuidam iecoris & lienis intemperiẽ contemperãdam, perennemque bilis iſtius acris & mordacis generationem prohibendam præſentius & præſtantius remedium nullùm eſt ſanguinis miſſione tum è cubitis tum è malleolis, identidem repetita, pro varia huius humoris ζυμώσει & partium aluinarum ξυντάσει, qualis fieri ſolet in phlegmone aut etiam in διαθέσει φλογώδει ex calidiori viſcerum intemperie, vt contigit ægro illi apud Hipp. qui ad Medoſadæ vicum habitabat. Erat illi hypochondrium ἐντεταμένον φλεβονώδεα ζόπον in morem intentarum venarum & tumentium præ ſanguinis feruore ac efferueſcentia. Similiter affe-

4. Epid.

ctos olim vidimus noſtros colicos Pictauenſes, quibus manus medicas per viginti quinque aut triginta annos attulimus. Erāt illis hypochōdria φλεγμαίνα καὶ ἐπώδυνα καὶ ἐντεταμένα. Vix tamen vnam aut alteram venæ ſectionem per totum morbi decurſum ab illis extorquere poteramus, adeò inſederat eorum animis paralyſeos, cuius cauſam phlebotomiæ perperam adſcribebant, metus. Nunc verò poſtquam morbus iſte velut aues peregrinæ aliò magna ex parte auolauit, & iam magis Aurelianenſes quàm noſtros Pictauenſes vexare dicitur, fruſtra epaphæreſin conſulam non ſolùm medicis vtriuſque loci peritiſſimis ſed etiam ęgris qui moniti iam hegemonicum noſtrum præſidium ambabus vlnis amplecti parati ſunt. Maior quæſtio eſt de purgatione quam præſente dolore inſtituere non licet nec quandiu præcordia ſunt μετέωρα καὶ σκληρὰ καὶ ἀνωμάλως ἔχοντα, neque quandiu humores ſunt ἄπεπτοι καὶ ἄκρατοι, ſed tantùm cum hypochondria ſunt μαλθακὰ ἀνώδυνα, καὶ ὁμαλὰ, & humores edomiti, cocti, & vndiquaque contemperati. Si tamen bilis iſta ſurſum feratur & ſui orgaſmi præbeat indicia per nauſeam aut vomitum, vnde eam colligere liceat è iecore aut ſplene in ventriculum ſtatim morbo ineunte tranſmiſſam, tunc eam emetico idoneo, quale præſcribi po-



Digitized by Google

greſſu purgantia exhibeantur. Poſteà vſus Hypnoticorum noſtrorum ſyrupi de nymphæa, de papau. albo, de rhœade & diacodij conueniet. Nec à laudano probato, aut pilulis de cynogloſſo recedimus ſi à perito medico præſcribantur, non tantùm vt ſenſui torporem inducant, ſed etiam vt tenuitatem humorum cogant & incraſſent, vehemẽtemque calorem reprimant. Quod remedij genus quantum in calido iſto & bilioſo affectu laudat Gal. tantum in frigido & phlegmatico damnat, quia etiamſi, ad tempus indolentem ægrum efficit, ſtatim tamen atque de vi ſua remittit, dolor quaſi poſtliminio redit, & intenditur, vnde contumacior fit morbus, interdum etiam inſanabilis tandem ægro cachectico reddito, aut ad hydropem redacto. Melior eſt ſors ægrorum noſtrorum qui bilis impetum frequenti ſanguinis miſſione coërcent & eum humorẽ alterantibus conuenientibus refrigerantibus & humectantibus hypnoticis imprimis mitificatum crebrò repurgant ſiue ἄνω, ſiue κάτω. ἄνω quidem ſi in ventriculo mordacem illum humorem contineri conſtet: Κάτω ſi in inteſtinis, idque ſemper aut ſaltem frequenter in ſolio, quo excrementorum acrium vacuatio promouetur, & cutis meatibus rarefactis internus & intenſus calor expirat, vnde

manifeſta doloris leuatio comparatur. Nihil hîc de clyſmis, epithematis, fotibus & linimentis, quibus carere ægri nunquam poſſunt, in medium profero, quia vnicuique obuia occurrunt. Sed omittere non poſſum aquarum medicatarum vſum non Pugenſium modò aut Spadanarum ſed Forgenſium imprimis & ſancti Meonis apud Aruernos, quibus apertè calidior viſcerum intemperies reſtinguitur & ſingulis corporis partibus ſuum robur & tonus conciliatur. Sed ne à vitriolo, ferro, nitro & alijs mineralibus aliquod empyreuma ſuperſit, lac aſininum vtiliſſimè vſurpabitur & ex eius vſu non aluina tantùm regio, ſed totum etiam corpus perfectum neoteriſmum conſequetur.

---

## *De paralyſi ex colico morbo.*

VIx vlla paralyſeos ſpecies eſt quæ non læſo motus & ſenſus principio id eſt cerebro contingat, qualis eſt præſertim quæ apoplexiæ, capitis vulneribus & hydrargyroſi, aut etiam quæ narcoticis ſuccedere ſolet. Sed paralyſis, quam colico morbo à bile atra nato ſuperuenire diximus οἷον κελτικῆς τινὸς ἐκ τοῦ βάθους μεταστάσεως γινομένης, etſi plærunque partis illius principis affectum

Aretæus.

ctum ſequitur, vt cum ſpaſmo ſuccedit, nihilominus ſpinam ſæpiùs omninò affectam, vt patet ex pareſi vtriuſque brachij aut etiam vtriuſque cruris, cum in vera paralyſi alterutrum tantùm brachium aut crus vt plurimùm affici conſueuerit, quia humor craſſa nempe pituita alteram tantùm medullæ partem obſtruit. At in noſtra populari acris & ſeroſus humor ex inteſtinis ad ſpinam tranſmiſſus totam eius ſubſtantiam irrigat, neruos emollit, & relaxat. Viam autem qua fertur is humor ab inteſtinis ad ſpinalem anatomici recentiores ſtatuunt, referente Sennerto ab arteria meſenterica in arteriam aortam & ab ea in ramum quemdam non longè à meſenterico ſitum qui in ſpinalem medullam propagatur, à qua in neruos deriuatur, ſiue potiùs & veriùs, teſte Riolano, à neruis illis qui à plexu in meſenterium & inteſtina diſſeminato in ſpinam feruntur & acri ſero lancinatis membranis conuulſiones pariunt, ſubſtantia verò humore multo perfuſa relaxantur & ἀκινησίαν efficiunt, ſed non ἀναισθησίαν. Imò verò acris ille humor per totam cutem delatus eam perpetuò vellicat, quam ſenſilem nimis æger experitur. Neque hoc propterea paralyſeos eſſentiæ quidquam detrahit, cum eam definiat Gal. ἀπώλειαν μάλιστα τῆς κινήσεως. Nam vbi 3. De loc. aff.

ſenſus tantùm perit eam partē ἀναίσθητον ἐστὶ, παραλύεσθαι δὲ non adeò dicere conſueuimus ait ille. Differt etiā hęc pareſis à vera paralyſi quòd hæc ſubitò inuadat, popularis autē ſenſim fiat. Deinde differt adhuc vtraque eò maximè, quòd illa remedijs vix ac ne vix quidem cedat, imò ſępius ægros ad mortem vſque comitetur: hæc verò remedijs obſequentē ſe præſtet & partes affectę robur ſuum & tonum intra paucos menſes recipiant, ſi præſertim idoneis remedijs curentur.

Curatio iſta egregiè perfici poterit ſecta ex interuallis vena ſed parcè, modò ex dextro, modò ex ſiniſtro brachio, habita ſemper virium ratione. Inſtituetur blanda humoris morbum committentis purgatio, eaque per epicraſin repetita, ex manna, caſſia, folijs orient. ſyr. de fl. Perſ. & diarhodon, vel alio ſimili. Cucurbitulæ admouebuntur circa primam dorſi vertebrum cum ſcarificatione: cœlo ſereno & diebus à medicamento vacuis æger geſtabitur in rheda vel lectica. Vnguētis acopis quę robur inferant & mediocriter refrigerēt, affectæ partes illinentur vt vng. populeo, cerato refrigerante Gal. & ſimilibus. Sed omnium inſtar erunt αὐτοφυῆ λουτρὰ, Borbonēſia imprimis, à quibus ferè omnes noſtros Pictauenſes ex ea cauſa paralyticos ad integram ſanitatem perdúctos vidimus.

FINIS.

# LECTORI SALVTEM.

CVm fortè in bibliopolio operarum errores adnoto, porrexit vir mihi amiciſſimus obſeruationes medicas Ioa. Schenckij, quas in hac opella contexenda legere nõ memineram, non tam ſollicitus quod morbi genus exteros exerceret, quàm quid ſit quod nos priuatim torquet. Statim ergò mentem ſubit recordatio vnius aut alterius Iacobi Oethæi, Eraſti & aliorum obſeruationis, miræ quidem illius & grauibus ſymptomatis inſignitæ: Sed quia ad nos tranſlata iſta lues grauioribus multò, velut altera hydra, ſymptomatum capitibus comitata, poſtremos adorta eſt, nobilium illarum obſeruationum loco, non minùs ſtupendas Antiſtitum noſtrorum & in hac Pictau. Academia facultatis noſtræ Medicæ Decanorum, prout quiſque alter alteri ſucceſſit, obſeruationes ſubijciendas exiſtimaui, quas ex eorum aduerſarijs cum bona affinium venia deprompſi.



Digitized by Google

# EX IOAN. PIDOXII ARCHIATRI & facultatis Medicæ Pictauenſis Decani aduerſarijs.

## Menſe Decembri 1602.

*DE O ſacrata virgo 47. annorum, ſæpe dolore capitis, & vomitu ſuccedente, ægrotabat. Ab his dolores colici primùm leues, adaucti, grauiſſimi, vomitus omnium aſſumptorum, pituitæ præterea & bilis æruginoſæ. Tandem ſenſim mota mens, linguæ per plures dies incontinentia, obmutuit, conuulſa eſt, interijt.*

## Menſe Ianuario 1604.

*VIro Clariſſimo annorum 50. poſt cibi faſtidium, doluit venter, ſed leuiter. Purgatus eſt ex pilulis cocciis & iliacis. Cæcutijt. Sanguis miſſus. Epilepticus factus eſt, & delirus poſtea per horas 24. Redijt ad ſe. Senſim reſtitutus eſt. Poſt 20. dies redijt leuis ventris dolor. Leuiter purgatus eſt ex fol. Oriental. & ſyr. roſ. Cæcutijt. Epilepticus noctu factus eſt ſemel. Die ſequenti, cum doleret caput, ſanguis miſſus. Nocte ſequenti ter grauiter conuulſus eſt. Delirus, & comatoſus. Poſt triduum ex electar. de citro repurgatus, meliùs habuit, & mens reſtituta. Aprilis 18. redeunte dolore, conuulſus eſt. Exhibitus puluis purgans ex amygdalato. Euomuit. Delirauit,*

*conquerens de viſu ſerpentum & erucarum per nouem dies. Poſtea comatoſus vigilans per triduum. Duodecimo die rediјt ad ſe: Conualuit. Tandem annis tribus elapſis redeunte dolore, conuulſus eſt, & delirus factus: Phreniticus periјt.*

Menſe Iulio 1604.

S*Exagenarius robuſtus à potu vini, & eſu ceraſorum colico prehenſus eſt dolore, & obmutuit. Exhibitis pro ratione morbi remediјs, bilem euomuit, aluo deiecit, vox rediјt, ſanatus eſt.*

Menſe Decemb. 1613.

V*Ir illuſtris, quinquagenarius leuiter febricitabat, cum dolore ventris. Tertio die, benigno medicamento purgato corpore, dolor exacerbatus eſt. Anodyna multa tum propinata, tum admota. Dolores nullo modo remiſerunt. Noctu cæcitas oborta eſt. Sequenti die miſſus ſanguis. Altero verò die corpore copioſè repurgato, conualuit.*



Digitized by Google

# EX ADVERSARIIS FRANCISCI Vertuniani la Vau antiquioris in Acad. Pict. Doctoris Medici.

1597 *Mercator Andegauenſis, ob ſublatum, doloſa fraude, neſcio quod beneficium, diu mœrore confectus, cum nec ſolatium in iugi librorum lectione, nec familiarium colloquijs, vel etiam ad amœna loca excurſionibus caperet, ictericus factus eſt, ſitibundus, inſomnis, querulus, incidit in colicos dolores atroces, à quibus etiam dolor aurium, tinnitus, cutis capitis torpor, capillitij hirſuties, tandem caſus, pure per aures excreto, ſudoribus & alui liberali profluuio liberatur.*

1603 *Mercator Pictauenſis, in Lugdunenſi itinere, hyemali & niuali frigore ſæpius obriguit. Meri generoſioris potu dum ſibi probè conſultum putat: Vomitibus, ructibus, ventris doloribus, podagra diu torquetur. Crura & pedes œdemate intumeſcunt.* ἀνορεξία *perpetua, vomitus pituitæ, tandem lumbagine aliquandiu veluti diſtentus, hæmorrhoidibus apertis ſanatur.*

# EX P. MILONIS PRIMARII REGIS Medici & collegij Medici Pictauenſis Decani aduerſarijs.

## Menſe Febr. 1592.

